IOANNIS LAURENTIJ LUCCHESINIJ ... SILUARUM LIBER PRIMUS...

Giovanni Lorenzo Lucchesini, M.P.

Digitized by Google

6
21-e
14

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 D
23

IOANNIS LAVRENTII LVCCHESINII LVCENSIS

E Societate Ieſu

EXERCITATIONES ORATORIAE

SANCTISSIMO
Domino Noſtro
CLEMENTI X.
Pont. Opt. Max.

Conſecratæ

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

ROMAE M.DC.LXXI.
Sumptibus Nicolai Angeli Tinaſſij

Superiorum Permiſſu.

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
CLEMENTI X.
PONTIFICI OPT. MAX.

IOANNES LAVRENTIVS LVCCHESINIVS FOELICITATEM.

BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTORIO

ORatoriam Siluam, exortam dum inſtaret tẽpus Fauſti Regiminis Tui, & magna ex parte Tuo in ſolo natam, Teque ipſo Regnãte, Sanctiſſimo Tuo No-

mini conſecro, Beatiſſime Pater. Prima quidẽ Oratio Auroram ſolummodò exhibet Sacri Principatus Tui, horas videlicet illas, quibus mirificè reluctatus es, ne Imperium capeſſeres. Sed ex hoc prodigioſo exortu augurari licet, quid de meridie Præclari Regiminis dicendum in poſterum ſit. Quãuis ad Regale Sacerdotium, à quo longiſſimè aberas ſtudio & voluntate, animum comparaueris propè Diuinis Prærogatiuis, ea tamen in ſingulos dies edis argumenta Cæleſtis Animi, & cognationis cũ Deo, quæ vel in Te prodigioſa videri poſſint. Religione quidem, & Integerrimo cultu Virtutis, adeò Diuinitatis Amorem vindicas Tibi, vt Sanctiſſimum Nomen non Muneri magis, quàm Moribus Tuis debeatur: Ac ſi Viuam & animatam Mortalium Legem eſſe
Prin-

Principem Themiſtius dixit, delibatamque ex Cæleſti mente, ac citimam terris Prouidentiam, quam ad alterius imitationem fingi, accommodarique neceſsè ſit; nunquam Diuinæ huiuſce indolis nota ac ſpecimen, quàm in Te illuſtrius effulſerit. Incredibili ſtudio ſacrarum precum intereſſe perpetuò ſoles Regiæ Diuinæ, à qua petis exempla regnandi. Hoc quidem conſortium cum Superis adeò requiritur in Principe, qui laturus ſit leges Mortalibus, vt qui illo ſunt deſtituti, ſplendido tamen illud mendacio iactauerint, & priſci Legum latores Zoroaſtres, Minos, Charondas, Solon, Zamolſcis, Numa, vt authoritatem conciliarent Legibus ſuis, eas retulerint ad Horomaſin, Iouem, Mercurium, Apollinem, Veſtam, Aegeriam, de quorum Numinum nocturno

colloquio exceptas à ſe illas fuiſſe profitebantur. A vera, cui diutiſſimè indulges, familiaritate Diuina, hauſta Indoles illa Cæleſtis, Cultus ille in Superos, quorum honores amplificas, & in poſterum amplificare decernis, Clementiſſimum illud Ingenium, & eiuſdem mirabile fœdus cum ſingulari ſtudio Aequitatis, prodigioſa Modeſtia, Aequanimitas maior humanà, cōtemptus Heroicus perituræ fœlicitatis, & ipſius Regni; adeòut ſi iure optimo elatus præconijs in Cælum fuit Magnanimus Horror, & Fuga Imperij, antequam ſummam fortunam experireris, Panegyricos prouocet Animus Imperio Maior, quo poſtquam Orbem Terrarum Sacro Imperio tenere coactus es, erga Supremum mortalium rerum faſtigium afficeris nihil. Enim verò nihil Tibi ſumis ex Re-

gno,

gno, niſi laborioſum, quem præſtas humano generi, famulatum, cui perpetuas curas addicis, breuiſſimam etiam quietem membris indulgens, atque vt per ſacras preces Mortalibus concilies Deum, ante lucem ſurgens è ſtrato. Quod quidem non modò Religioſum eſt, ſed & Regium. Apollonius certè Philoſophus non ignobilis, vt authot eſt Philoſtratus in eius Vita, cum matutinus adiuiſſet Veſpaſianum apud Syriam Præfectum, eũque inſperatò offendiſſet ante Auroram agentem cùm Ducibus Exercitus, cui pro Nerone præerat, confidentiſsimè dixit: Oʼ ἀνὴρ ἄρξει Omen Imperij ducens ex eo, quod diluculò operam daret nobilibus curis, & ſomni modicus experrectum mane animum magnis conſilijs exerceret. Quo verò ſtudio in Rempublicam vigil incumbis!

Quo ardore animi publicæ egeſtatis incommodis, in his etiam Aerarij anguſtijs, mederi ambis! Vt ſtatim Aulam Tuam compoſuiſti ad optimæ diſciplinæ leges! Hinc ortum, vt cum omnes vltrò aſſererent, dum Sacra Comitia peragerentur: eo etiam nomine non exoptandum eſſe in præſentia Sacrũ Imperium, quòd cum exhauſtum ob Cretenſe bellum, aliaſque cauſas eſſet AErarium, non modò excitare afflictas ſubditorum res, integrum nouo Principi non eſſet; ſed etiam cum fulcienda inſolitis populi ſubſidijs eſſet Reſpublica, neceſſariò vulgaris auræ plauſus eidem deſperandus eſſet: ſecus omninò contigerit non ſine incredibili admiratione Sapientum. Multum intereſt, vt inquit ille, in quæ Tempora Magna Virtus inciderit; ſed eximię Virtuti Tuę quæcunque

Tem-

Temporum iniquitas victa ſuccubuit. Statim enim dicatis Diuino cultui Viris ademiſti vectigal; quãuis, cum fauſtiſsimum decretum prodiuit, maximum à Barbaris diſcrimen immineret, ad quorum vires frangendas vis illa ſacræ pecuniæ conflabatur. Et profectò decebat, ab Optimo Sacerdotum Antiſtite, his primò, cætero exinde Populo contra inopiam auxilij copiam fieri. Quod autem videri potueris, non cauere periculum Turcici belli, cum pecuniæ præſidia contemneres, id ego accidiſſe crediderim, quia Diuinitus cognouiſſes, nullam nobis perniciem ab ea, quam Hoſtes armabant, claſſe afferendam: aut quia metu concuti non poſſes, qui à Fortiſsimis Viris originem trahis, & Strenuiſſimi Imperatoris Flaminij Delphini Sororis Filius es: aut quia ſtatueres
 apud

apud Animum Tuum, Amore in ſubditas gentes melius, quàm aureis haſtis corrogatæ, non ſine ingenti plurimorum dolore, pecuniæ pugnari poſſe. Charitas enim Superos vocat ad ineundum nobiſcũ fœdus, adeòque ſi non aureis, Diuinis certè armis Thraces euertit. Nuper dimidium Vectigalis, quod pro militum vtenſilibus exigebatur, vltrò Vniuerſę Pontificię ditioni deſtituiſti, quod alij Pontifices Optimi voluerant eſſe perpetuum. Ingentem verò quotidie pecuniam, & magna ex parte clam, in Pauperes erogas, eiuſque Diribitores affirmant, à Te obrui hac etiam laude cęterorum Pontificum Liberalitatem. Quàm inſignis prouentus eſt Principis Parſimonia! Quàm egregia eadem Panacea eſt ad obducenda vulnera deficientis Aerarij! Quot plauſibus efferendus

dus es à Populo, cui Vectigal ipſe perſoluis ea, quę ſubtrahis ipſis etiam dapibus Tuis: Pro quibus arctiſsimè cohibes ſumptus, ac vix fieri ſinis decimam expenſę partem ex ea, quę cęteris auream ſupergredi mediocritatem viſa non fuit. Suppetias ferre laboranti Reipublicę, ſolenne perpetuò fuit Alterię Genti, quę Magnanimos, & Regales ſpiritus ducens à Proauis nobiliſsimis, ac pręſertim à Stephano VIII. Summo Pontifice, qui ante annos omninò ſeptingentos Sacrum Imperium præclariſsimè geſſit: à Petro, Victorino, Cornelio, Rodulpho, & Ioanne Baptiſta, Principibus Purpuratis: à Marco Othonis Cęſaris Dapifero: à Corradutio Patricio Romanorum opulentiſsimo, qui anno Reparatę Salutis decimo quinto ſupra Milleſimum ducenteſimum Helenam Vr-

ſinam duxit Vxorem : ab his, inquam, alijſque innumeris Pacis, & Belli artibus florentiſſimis Viris præcellſam Indolem hauriens, Populo contra inopiam, & cætera incommoda præſidio fuit : vetuſtiſſima Templa, & Publicas Aedes excitauit : omnibus ſalutare perfugium perpetuò præbuit, præſertim cum Conſeruatorum Principes Senatui dedit : nobiles Ciuitates Viterbium, & Vrbem Veterem patrocinio fouit, adeòut Laurentius Alterius earumdem Pater, ac Patronus publico plauſu ſalutatus fuerit. Et mirabimur, quod Populum augeat donis Optimus Princeps, proles Heroum, qui vel in priuata fortuna populari ſemper cõmodo ſtuduerunt? Hoc verò ſtudium publicæ incolumitatis Tuum præcipuè enituit, cum Palutium Cardinalem Alterium adhibere in

Re-

Regno gubernando curarum omnium, conſiliorumque participem decreuiſti, cuius præcelſa mens Idea videtur earum, quas temperandis hominibus, ac regendis Imperijs Aeternum Diuinitatis Conſilium deſtinauit. Accedit ad cæteras dotes, quæ carum æquè, ac venerabilem Te Populis effingunt eximia fœlicitas, qua Cæleſtes virtutes Tuas muneratur Deus, quamque cęteroqui pręſtare de ſe ipſo nemo poteſt. Hinc pacatiſſimum Tibi eſt Regimen, eritque perpetuò: vtque olim Sapientiſſimo Principum imperante Iſraeli, fauſtiſſima Populo Pax affulſit, ita Sanctiſſimum Regimen Tuum, expulſis iam bellorum nubibus, perpetuæ pacis ſerenitas exhilarabit. Exordium ipſum Principatus Tui vniuerſam Europam fortunauit. Dum Comitia protrahebantur, quot

quot imminentium diſcriminum, horror noſtris animis obuerſabatur? Inſtare iã Italię faucibus Turcarum Tyrannus videbatur: Rebelles Hungarię Proceres magnos in Germania motus concitauerant: inteſtinis diſſidijs agitabatur Polonia: vltrò Coſacchi dediderant ſeſe Hoſti Chriſtiani nominis infenſiſſimo. Sed vix Te renunciato Põtifice, viſa ſunt illicò improſpera fata diffingi. Turca in interiora Regni recepit ſe, non ſine metu breui erupturę ciuilis pugnę. Quę pars Hũgarię defecerat, adorat Cęſarem. Pręclariſſimo Regi plaudit vniuerſa Polonia. Inter ſe diſſidentes Coſacchi Bizantium execrantur: teſtes fidei, & obſequij ſui Nuncios Cracouiam, & Varſauiam identidem legant. Vſque adeo placuit Superis Electio Tua, vt illius præmium has Terræ fœlicitates indul-

dulſerint, eruptura bella compreſſerint, & ſpe pulcherrima mortales erexerint. Quot ſub Te Principe Romanæ Fidei Triumphi adornantur! Aetnicę ſuperſtitionis excidium augurari licet ex ijs nuncijs, quę de reuocatis in Iaponiam Luſitanis ſparguntur in dies. Neque verò nihil proderit ad ſubdendos Vaticano animos Barbarorum Tuus eximius cultus in Franciſcum Xauerium, Sanctiſſimum Indiarum Apoſtolum. Profectò ſicuti Diuina Fides mirificè amplificata eſt, Regnãte Gregorio Tertiodecimo, qui ſecundo poſt ſeptuageſimum elapſi Seculi anno Principatum ingreſſus eſt, ita crediderim, ditandam fauſtiſſimis incrementis, dum poſt centum ferè annos eadem Religione, Magnanimitate, cęteriſque dotibus ornatus *P*ontifex Regnum capeſſit. Eoque magis fauſtiſſi-

ſtiſſima quæuis augurari licet, quòd Te nobis non ſine prodigio pacatum aliquando Numen indulſit. Quamuis antequam Sacrum Purpuratorum Principum Senatum illuſtraſſes, plerique ominati fuiſſent, Tibi deferendum Sacrum Imperium: Quamuis aliàs idem Sapiētiſſimum Cōcilium Heroum, quibus Cardinibus innititur Eccleſia Diuina, perhonorificam de Te ſententiam tuliſſet, cum ad pręclaram Legationem ob ineundam inter Potentiſſimos Principes Pacem elegit Te: (quo quidem tempore patuit, quanta ſit in conferendis Muneribus Sacri Collegij Sapientia, quòd Iulium etiam Roſpilioſium, Optimum in Summo Pontificatu Deceſſorem Tuum, Vrbis Gubernatorem conſtituit, adeoque Duos Supremos Arbitros ſacrarum rerum, eo quodammodo

prę-

prȩludio, ac teſtificatione deſignauit:) Quamuis demum Tua Virtus eximia prouocaret sũmos honores, Tuique omnes admiratione mirificè caperentur, ea tamen inita erat ſeries conſiliorum, eum Sacri Senatores tramitem ingreſſi erant, inque tàm diuerſas quamplurimi ſemitas abibant, vt prodigioſa videri potuerit animorum de Te eligendo conſpiratio. Deinde verò cum ſupplices acciderunt omnes ad Tuos pedes, & mirabili fœdere ſtudiorum flagitauerunt ex Te, vt præeſſe dignareris rebus humanis, incredibilis Demiſſio Animi Tui conceptam ab alijs hominum fœlicitatem penè in ipſo partu eſtinxit. Idcircò in relata de alijs, deque Te ipſo Victoria Diuinum adeò Conſilium triumphauit, vt Adeodatus dicendus fuiſſes, niſi Tibi placuiſſet Clementiſſimum Nomen.

men. Non incaſſum Te per ſumma prodigia nobis aſſeruit Deus. Hinc etiam, præter cæteras cauſas, ſpe pręcipimus, fauſtum Regimen Tuum diutiſſimè producendum. Idque ego præcipuè omnibus votis exopto, qui omnia ſumma debeo Beneficentiſſimo Tuo in Societatem noſtram, & innumeris argumentis perſpecto, atque explorato animo: pręter priuata nomina, quibus mirificè me obſtrinxit Diuinitas Humaniſſimę Indolis Tuæ. Hoc ergo deuinctiſſimi cultus vectigal vt Cęleſti illa Tui vultus Clementia excipias, Beatiſſime Pater, oratum Te etiam, atque etiam velim.

LECTORI.

CVm argumenti ſplendor, & dignitas reuocet in publicam lucem Orationem & Carmina de Sanctiſſimo Pontifice Clemente X. quæ Superiori Anno tradidimus Typis: cumque ijs addenda ſint Lyrica, ad quæ pangenda nos excitarunt eximiæ prærogatiuæ Eminentiſſimi Principis Palutij Cardinalis Alterij, & aliorum ex eadem Excellentiſſima Gente præſtantium Heroum: non defuere, qui Authores nobis fuerint, edendi ſimul alia quàmplurima, quorum aliqua iam ſparſim edita publici iuris fecimus, pleraque conſultò premimus; ominantur enim, gratiam cæteris ſcriptionibus conciliandam ab ijs, quas Alterium nomen illuſtrat. Quia non inepta ſpondere viſi ſunt, aut certè Rega-

ga-

galem ac verè Palladium clypeum nobis exhibere Auguſtiſſimi Patrociniј, morem ijs ex parte geſſimus, ſubijcere enim decreuimus oculis eruditis ea, quæ intra proximè euoluti anni ambitum, vnumque præterea, & alterum menſem luſimus: prætermiſſis alijs quàmplurimis ante id tempus exaratis, ne in magnam molem excreſcat opus, cæteroqui futurum pretio minimum. Præhabenda viſa ſunt hæc, non elegantiæ merito, ſed ſorte naſcendi, quia videlicet exorta fermè ſunt ſimul cum illis, quæ à Pontificij argumenti maieſtate conſecrantur. Eo præterea nomine poteſtatem his facimus ſubeundi Publici Iudicij diſcrimen, quia illa commendat vtcumque varietas argumenti. Specimen certè aliquod exhibemus omnis fermè ſcriptionum generis, quo hac tempeſtate ſtylus exerceri ſolet. Cum enim Iudicia Rhetorum iamdiù ſiluerint, &

vix

vix Deliberatiuum Genus à Latinis Oratoribus pertractetur, Panegyricis tantùm, ac Proluſionibus nunc triumphat Eloquentia. Quia porrò multipliciter commendare poſſumus, videlicet & palam, & ſpecie improbantiũ, idcircò poſt Expoſtulationem de Sanctiſſimo Clemente Imperium recuſante, addimus apertam laudationem Cælestis Iuuenis Aloyſij Gonzagæ. In ipſa etiam Expoſtulatione de Optimo Pontifice, cui ſuadere aggredimur, ne perditam velit Chriſtianam Rem publicam, eius Regimen detrectando, experimentum aliquod damus Generis Deliberatiui. In Epiſtolis etiam Nuncupatorijs vtimur altero Exornatiuo charactere dicendi, qui proximè accedit ad Hiſtoricam narrationem. Proluſiones autem cum Doctrinam, vel Lectoris Oblectationem præcipuè ſpectent, vel ſeriò rem tractant, vel ludicram agitant quæſtionem. Idcircò

in

BIBLIOTECA NAZ.

in prima ſeriò inquirimus Ideam *He-roici Carminis : in alÿs verò, factis in ſpeciem argumentis, oſtendere nitimur, à Satyra magis, quàm à Panegyrico res exornari. Ac ne deſit ſpecimen aliquod Mythiſtorici ſtyli, quo noſtra hæc ætas mirificè capitur, ultimæ* Proluſioni *attexuimus fabulam ea ferè dictione narratam, quæ à Mythologis vſurpatur. At Lyricis Carminibus, &* Epigrammatis, *quibus primas partes in hoc libro vindicat argumenti præſtantia, addimus* Heroica, Elegiaca, *Satyrica. At enim iſta, inquies, nonum in annum non premimus ex* Horatÿ *lege. Quotus verò quiſque Venuſino paret?*Ex *eo præſertim tempore, quo mirabile Typographiæ inuentum ſpem omnibus* Operibus *fecit viſendi, ſi minus Tagum & Sequanam, at Arnum ſaltem, &* Eridanum *: quod pleriſque omninò deſperandum erat, quando impre-*

pre-

probo Librariorum labore plurima erãt exempla Operum exaranda. Cæterùm quod noſtrum ſit de cunctatione in pleriſque Operibus adhibenda iudicium, habes in Proluſione de Carminis Heroici Idea. Et nos conſultò premimus Orationum Volumen, quod Rhetorica Paradoxa inſcribimus, & plures Carminum Libros: quæ qualia demum cumque ſint, per annos certè plurimos delituerunt. Interim hæc obuiam fortaſſe ibunt nonnullis, qui aſſerunt: ineptè, & contra Veterum morem aggreſſos eſſe Noſtri Ordinis Rhetores, per omnia vagari ſcriptionum Genera; cum Priſci Authores conſueuerint, vnum ſolummodò excolere: quique Oratoriè dixerunt, non ijdem tentarint Hiſtoriam, & Exametros ſequuti numeros à Lyricis abſtinuerint: alij Ruſticam ſemper Auenam, Heroicam nunquam Tubam inflauerint. Ex his, quæ tenuitas noſtra

ſtra potuit effundere, patebit, quid aliorum præclara ingenia præſtare ſoleant: ſiue illa exſuſcitet aurea neceſſitas ſtylum multipliciter exercendi, quæ nos præcipuè ex omni mortalium genere perpetuò vrget: ſiue, quòd nobiles diſciplinæ conſanguinitate quadam inter ſe miſceantur, ac Muſæ præſertim Sorores ſint, vna non leuiter alteri proſit: ſiue quod plurimum eis adſit Cæleſtis præſidij, qui ſuam operam addixerunt Iuuentuti Religione, & Bonis Artibus informandæ. Enim verò non ſubtrahi, ſed accedere priuato, quo hæc extudimus, ſtudio videbatur tempus illud, quod ex domeſticæ diſciplinæ legibus tradidimus Sacris Ordinis, conſuetis Vitæ, perpetuis Officij neceſſitatibus, ac præſertim Diſcipulorum eruditioni, quibus argumenta ſcribendi præſcribenda quotidie ſunt, & quorum penſa caſtiganda, præſertim quæ publicè

blicè ab illis dicuntur : Præter horas, quas indulſimus dictandis Carminibus, Elogijs, Nuncupatorijs Theſium Epiſtolis pro quouis quidem hominum genere, at precipuè Religioſis aliorum Ordinum viris ad charitatem fouendam; adeòut pro Comitijs Ampliſſimæ familiæ vberrimam ſcripſerimus Orationem in Demortuum eiuſdem Generalem Magiſtrum. Cum prætere a Rempublicam, vt inquit ille, attigerimus, ac perſæpe prohibiti ſimus, vacare nobis & Muſis; per ſex enim ferè menſes domo quotidie prodeundum nobis fuit. Hæc quidem omnia, ex obtemperandi ſtudio ſuſcepta, nullam ſolido de die partem demere viſa ſunt priuato cultui literarum; vt proinde otium ſuperauerit ad hæc elucubranda, quæ Lectori Candido repræſentamus. De noſtro autē ſcribendi genere illud vnum præfari poſſumus : Ratiocinationis progreſſum ſu-

pra omnes dotes à nobis quæſitum, datamque operam, ut quà ſoluta, quà vincta numeris Oratione, ſpargeremus innatæ ſemina Philoſophiæ; Si quid enim in Eloquentia efficimus, non Rhetorum, ſed Academiæ ſpatijs conſequimur, ut inquit Cicero.

Cum

Cum Sanctiſſimo Pontifice

CLEMENTE X.

RECVSANTE IMPERIVM EXPOSTVLATIO

Dicta in Aula Maxima Collegij Romani Sexto Kal. Iunias 1670.

AD EMINENTISS. PRINCIPEM

PALVTIVM CARD. ALTERIVM.

Et Excellentiſsimos Principes

GASPAREM, ET ANGELVM ALTERIOS

In Corona ferè omnium, quotquot Romæ aderant,

PRAESVLVM ILLVSTRISSIMORVM

A D. RODVLPHO AQVAVIVA Seminarij Romani Conuictore.

AD faſtigium dignitatis elata eſt Chriſtiana Religio: Salus publica triumphauit. Pontificem illum ab vlnis Cęli cunctantis extorſimus, quem nondum Sa-

cro Purpuratorum Patrum Senatui adſcriptum, communia omnium pręſagia, priuata ſingulorum ſtudia, & Regnatricis præſertim Vrbis vota Diuinitatis Vicarium deſignabant. Poſt diuturna Comitia, in quibus mora pretium addidit Electioni pulcherrimæ, AEMYLIVM Cardinalem ALTERIVM Diuini Proregẽ Numinis adoramus. Si quis ex illa ſuperbiſſimorum hominum turba, quos naſci Reges oportuit, ea illos exagitat libido librandi fata Regnorum, incertus animi fluctuauit, an, ſingulari ſuffragatione præſentiſſimi Dei, Romani Pontifices renuncientur, illud in pręſentia inficietur, ſi omninò è mentis ſtatu deiectus haberi velit. Cæleſtis Triumphũ Prouidẽtiæ fuiſſe, de CLEMENTE eligendo conſenſionem animorum, ambigit nemo. Diutius pugnandum cum Modeſtia Principis fuit, quàm laborandum, vt in illum omnium ſuffragia conſpirarent. Intra breuiſſimi temporis anguſtias initum eſt conſilium erigendi Chriſtianam Rempublicam, hunc illi Sacrorum Præſidem ſtatuendo; ſed plures horæ fluxerunt, dum precibus, que-

relis,

reſis, lachrymis, iniecto religionis metu, auertere à ſe ſummam fortunam contendit. Vicit publica Fauſtitas: & quandoquidem crimen eſſe dicebat, ſi cæteris ipſe præficeretur, Sanctiſſimo conſecrari crimine voluit Purpuratorum Senatus. Tuis Te armis aggredior, Sanctiſſime Princeps, & quoniam, ſuſcitato criminis metu, alios deterres, ne Tibi tradant Imperium, in medium affero præcipua nomina, quibus culpæ Tibi vertere debes hanc ipſam Imperij fugam. Quàm ineptus Orator videri poſſum, cui cum exultandum eſset in ampliſſimo Egregij Principis laudum campo, eundem magni facinoris arguo? Sed enim cum illo humani generis nomine expoſtulandum eſt, quod, cum ſe ad Rempublicam acceſſurum negaret, propemodum funeſtauit. Neque temporis, & ingenij vitio deterendæ ſunt laudes, quas CLEMENS Optimus auerſatur, quæque infinitæ cum ſint, nequeunt omninò breuiſſimæ finibus orationis includi,

Ac primò quidem tàm ſplendidè abutor Clementia Tua, Pontifex Optime

me, vt cum de ſeueriſſimo illo Tuo Sacri Regni contemptu dicturus vnicè accedam, quemque multiplici de cauſa Tibi piaculo vertam, illum ſaltem admirari nolim, veluti fortis, magnique animi inſolitum documentum. Cũ enim ab ineunte ætate horas quotidie plurimas Diuinis Colloquijs conſecraueris, cui prodigioſa videri poſſit deſpicientia, quam exhibes, rerum humanarum? Illis, quibus intimæ cum Deo neceſſitudinis vſus interceſſit, quique contentione mentis aſſidua Seculis, & Imperijs immortalibus interſunt, parum pellacem ſui ſpeciem ingerunt ea, quæ cæteris hominibus eximia, & præclara videntur. Idcircò cum Diuini iucunditate congreſſus, in quàm longiſſimum tempus, quotidie frui conſueueris, prodigij loco ducerem, niſi deſpicatui haberes ſuauem ſenſum, quo in animum illabi ſolet humani nectar Imperij. Verùm hoc ipſo nomine, plerique reponent, admirationẽ CLEMENS laceſſit, quia vſque adeò Cęleſtẽ indolem hauſit, vt vulgaria penè in illo videri debeant, quæ in cæteris ſunt prodigioſa
mor-

mortalibus. Vtcumque iſta ſe habeant; ſtupore certè defigere nullum debet Supremi honoris contemptus, quem in Te plerique ſuſpiciunt. Atque vt ſeriò cauſam ingrediar, admiratione potius vnumquemque defigat multiplex criminis ſimilitudo, qua ſe Princeps Innocentiſſimus, Sacrum Principatum ſubterfugiens, obſtringere meditatur.

Culpæ Tibi non darem iniuriam, qua violare videris præclariſſimam Patriã, in Te, ſi annuas, regnaturam; niſi eius damna eſſent pariter vulnera Reipublicæ, quæ ſolet egregiè temperari ab illis, qui primo Romani Solis intuitu, primoque hauſtu ſpiritus de hoc Cælo, humanis omnibus, & Diuinis laudibus ornatiſſimo, virtutum illuſtria ſemina contrahunt, & ad Romanæ laudis, & veræ gloriæ ſtudium celebritate Maiorum, & fama excitantur. Non arguerem conſilium fraudandi Nobiliſſimos Proauos Tuos honore illis in Te delato, niſi pietas in Parentes commendata nobis diuinitus eſſet, & inſita penitus à natura: Niſi ab ijſdem bellicoſiſſimis Viris, & Exercituum Imperatoribus, aſſuetis

 mer-

mercari gloriam profuſione magnanimi ſanguinis,edoctus fuiſſes,non reſpuere decus vltrò Tibi collatum ; ſiquidem per vrbanas artes ſtudia pacis agitare voluiſti: Niſi debuiſſes ijſdem ſolatium extinguendi in Te virilis præclariſſimi germinis. Quod quidem non abs re contigiſſe crediderim,ſed quia Maximis Heroibus fœcunda Maiorem gignere ſtirps inclyta vltra non poterat.Sed hoc facilè dilues crimen, neque enim effæta dicenda eſt Arbor Regalis, in qua Egregium alius lectiſſimæ ſtirpis germen inſeritur. Nullus tamen non admiretur, quod cum Duos Germanos Fratres ad Supremum Apoſtolici Principatus Apicem eximia virtus, & publica deſtinatio inuitaſſet, parum tamen abfuerit,quin Præclara Domus hac laude deſtitueretur, cum alteri immaturæ mortis inuidia, ſuus alteri Pudor, & incredibilis Demiſſio animi Supremum ſacri honoris culmen ademiſſet.

Vt ex hoc tamen fonte in Te non deriuaueris noxam, aliunde magni criminis inuidia flagrabis,eluſæ videlicet publicæ omnium hominum vocis,quæ haberi ſolet

let Diuinum Oraculum. Sacram humani generis procurationem Tibi plurimorum Auguria decreuerant, nec vnquam de conferendo Reipublicæ regimine, Prçſuli non dum inter Purpuratos Patres relato, adeò conſtans omnium animis inhæſit opinio. Camertes Antiſtes Optimus moderabaris: Non exiguam tantùm ſacræ Domus partem, (quam Italicum egregiæ illius Vrbis indicat nomen) ſed vniuerſum, quà latè patet, Chriſtianum Orbem temperandum à Te fama aſſerebat. Pontificis Nuncius Neapoli, aderas. Præſenſere Ciues mei, Legationes à Te, rerum olim potito, deſtinandas ad potentiſſimos Europæ Reges, imò etiam ad Sinas & Braſilos ſacris legibus informandos. Deceſſoris Tui Cubiculi Præfectum agebas: Non Pontificiæ tantùm, ſed & Cæleſtes quàm primum Fores à Te recludendæ omniũ erant votum, & præſagium.

An verò vllo excuſationis clypeo à Te auertere poteris criminis notam, quam incurris, Dei, hominumque præſenſiones fruſtrare conatus? Aetatem prætendis, & fractas ſenectutis incom-

modis vires? Grauis illa quidem eſt, cum Seculi vel infortunia, vel crimina Tuam huc vſque eximiam virtutem Regno diſtulerint. Sed quò breuior futura eſſet vſura magnæ virtutis, eo ambitioſius expetenda eſſet à Republica Præſtantiſſimi Principis virtus. Quid quod breuem fore quis metuat fœlicitatem, quam prodigiosè nobis Cælum indulſit? Suorum munerum Superos optimos non pænitebit. Oblatos Tibi certatim à ſubditis Populis annos vi- ues. Conſuetum Alterijs Heroibus præ- tergredi Seculum. Ex quibus ille, quem Nobilem & Longæuum virum dicit inſcriptio ſepulchri in Templo D. Mariæ ſupra Mineruam, attigit ætatis annum Decimum ſupra Centeſimum, ad eam vſque diem optima ſemper valetudine vſus. Nulla Tibi, Virtutis merito, ſunt Senectutis incommoda, quia nullo attrita luxu Iuuentus fuit. Pedibus incedis Tuis: Obequitantem Vrbis pomærium vidimus nuper, cum Sacra Diuorum Templa ſupplex inuiſeres. Non Te obtundent Sacri Regiminis curæ, quia abhorrentem à voluptatibus vitam per-

petuò

petuò ſequutus, & laboribus innutritus, continuatis negotijs, & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es. Non infauſti, qui forte contingerent, rerum euentus, perturbare poſſent acquieſcentem in decretis Diuinis Sapientiam Tuam, & Mentem ab Olympi vertice adumbratam, quem nulli vnquam ventorum, aut imbrium impetus concitarunt. Enimuerò viridis ille, & integerrimi Corporis vigor, Perpetuæ illæ Animi feriæ, & ſtatus honeſtiſſimæ quietis, & Alcedonia placidiſſimæ pacis, ſpondent, Chriſtianam Rempublicam à Tuo Imperio diutiſſimè fortunandam. Fruſtra ergo ætatem prætexis, vt à Te recuſatæ Tutelæ generis humani querelas amoliaris.

Non ſatis à cæteris dotibus munitum, adeòque imparem Te præclaro Muneri dicis, vt culpa carere videaris? At nullus vnquam eximium adeò præ ſe ſimilitudinis Diuinæ ſpecimen tulit; ideòque nullum vnquam maior famę cōſtantia Diuinis obeundis vicibus deſtinauit. Mitto inſtitutam à primis annis ſanctiſſimè vitam. Quid commemorem

Sapientiam ſingularem, & omni doctrinarum genere excultam, ijs pręcipuè, quibus homines tęmperantur? Quid de ſolidiſſima in iudicando prudentia loquar? Recenſebo cæteras dotes? Ingeniũ Clementiſſimum, et in quo difficile, & moroſum nihil, ſed nihil præterea molle, & in ipſa ſuauitate languidum, & remiſſum nihil: Honeſtatis denique perpetuum lumen, eodemque ſemper tenore productum integerrimæ colorem vitæ.

Paucis plurima amplectar, ſi eorum Te Præſulum Ideam fuiſſe dixero, quos publica fauſtitas ad Sacrum Imperium depoſcit. Adeſte animis, Auditores, dum rem maximam paucis conficio. Si quis ad altiſſimum exemplar conformet Romanum Pontificem, duas, vt arbitror, quæ raro conſortio conſpirant, in illo exiget prærogatiuas: Vt videlicet diuturno congreſſu Deum alloquutus perpetuò fuerit; qui enim alterius Principis partes ſumpturus eſt, illius ingenium, & indolem induiſſe penitus, diuturna cum eodem conſuetudine, debet: Vtque in rebus humanis exercita-

tiſ-

tiſſimus ſit, ne plurimorum incommodo regnare diſcat in Regno. Vbi alteram ex his laudibus deſideres, vix parem inuenies Imperio Ampliſſimo, & Sacroſancto. At ſi vnquam mirabili fœdere conuenerunt, ſupra votorũ audaciã illas in ÆMYLIO ALTERIO venerati ſunt, qui eundem, fruſtra reluctantem, Rempublicam capeſſere coegerunt. Vultis prçteritas illius diurnas, nocturnaſque curas inſpiciamus? Planè vultis. Poſt nullas ferè veſpertinas epulas, breuiſſima quiete contentus, vna, vel altera poſt noctis medium hora, vel ſumma hyeme, ſurgere conſueuit è ſtrato, & horas exinde plures protrahere cum Diuinitate colloquium: Tùm Sacras ad Aras ſummo mane religioſiſſimè, & ſæpe non ſine lachrymis, quotidie operari: Et vniuerſam deinde diem tranſigere in ærumnoſiſſimis laboribus pro cuſtodia publicæ rei: Sique vllum ab ijs tempus vacaret, repetere ſtatim in ſacris precibus profuſam in ſe Numinis indulgentiam; adeò vt meminerim ante plures menſes me audire Prçſulem Sapientiſſimum, aſſerentem: nullum ſibi vnquam,

ne

ne ex ipſis quidem intra religioſa clauſtra receptis viris, innotuiſſe, qui maiori Diuini colloquij ſtudio, quàm AEMYLIVS ALTERIVS caperetur.

Diuerſamne Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres, dum in terris agerent, vitę rationem inſtituerunt? Timida nimium, & exilis eſt oratio noſtra. Diuerſam, propè dixerim, inſtituerent, ſi ex Diuina digreſſi Romanam aulam repeterent Sanctiſſimi Patres? An perperam affirmauimus, Ideam Te, Cæleſtis Indolis Princeps, illorum Præſulum eſſe, quorum Imperio teneri ambit Orbis terrarum? Neque conſcientiæ motu conflictaris, dum in Tuum ſinum conuolantem Rempublicam auerſaris? Dum omnem lapidem moues, ne Tibi ſacrum decernatur Imperium? Neque enim Cunctatio illa Tua fuit, ſed Horror, & Execratio, & Animi Fuga, ſiquidem Corpus obſidentium Te Purpuratorum Principum Auguſtiſſimo carcere includebatur.

Sed fruſtra in maximam notam incurris, molitus, vniuerſum propemodum addictorum Chriſto hominum genus hac Tua repulſa conficere. Quamuis auia

Siluarum, & Montium concaua Te abdidiſſent, prodigioſas, auſim dicere, rurſus Columbas, aut Cęleſtis ductum flammæ ſequuta, è latebris Te flagrantiſſima omnium ſtudia eruiſſent. Nimium quantum infauſti huius Seculi intereſt, ad gubernacula accedere virum, qui ad Diuinæ ſimilitudinis indolem probè præcultus, & magna in orando facilitate Numinis vſus, conciliare Mortalibus Superos poſſit. Qui Princeps magnam ſemper habuit cum Diuinitate rationem, omnia extorquebit ab eodem in ſe indulgentiſſimo Numine. Quidquid non rapiet Turca ob occupatam Cretam ſuperbiens, quidquid non atterent Scythæ, quidquid non turbabit Batauus, id penitus tribueturTibi opem ferenti Sanctiſſimis precibus Reipublicæ laboranti.

Infœlicium, quæ ab Eccleſia Diuina auertere detrectabas, fatorum conſcientia oppreſſus fuiſſes; incurriſſes in crimen eiuſdem ſpoliatę lucris innumeris, quibus Te regnante ditabitur. Si Tyranni barbari nobis inſtarent, Magnum illis Leonem obijceremus, quia parem in Te Cæleſtis Animi Conſtantiam intue-

tuemur. Si Principes, fidei ſuæ dedecus inurentes, Eccleſiæ dignitatem labefactare contenderent, in Te Septimi Gregorij Virile Robur,& Magnanimum Pectus experirentur. Si vigilem ſollicitudinem, & perpetuas curas infauſtum Seculum requirit in Principe, Magni Gregorij Vigilantiam deſiderabit nemo. Huiuſmodi commodis rem ſpoliatum publicam ibas, nec vocari formidabas in inuidiam eiuſdem euerſæ?

Atque vt ex ijs, quæ primos Sacri Principatus dies illuſtrabunt, exempla petam, fortaſſe non adimendi dicatis diuino cultui hominibus vectigalis, ſi à gubernaculis receſſiſſes, collata in Te culpa fuiſſet. Egregiam ſtatim publicæ fœlicitati nauabis operam, Iuſtitiæ curam auidè amplexus, moribus exornans, emendans legibus quæcumque corrupta, vel ægra eſſent in Sacro Regimine, & iacentem præſertim Virtutem extollens. Ad hanc erigendam cum Te induceret pręclara Indoles Tua, & ad ſacra munera Viris optimè meritis,& à publico honore ceſſantibus conferenda, affinis culpæ omninò fuiſſes, hoc illos præ-

mio

mio fraudando, dum adminiſtratio-
nem ſuſcipere detrectabas.

Præſertim verò veniſſes in crimē erepti Reipublicę Præſidis Eximij, PALVTII Cardinalis ALTERII, quem hìc vniuerſæ Vrbis plauſus veneratur, quique illam Tuo ductu, Imperio, & Auſpicio præclariſſimè gerit. Quod aggrederis facinus, Pontifex Optime? Si tàm illiberaliter ipſe contemnis Imperium, hunc Virum Reipublicæ inuidebas, Generis, Ingenij, Doctrinæ, Virtutis, Sapientiæ, Religionis, Honorum dignitate ſingularem, ac Romanæ Purpuræ ſplendore iam diu florentem? Qui ſimilitudinem in ſe pręſtantiſſimæ mentis Tuæ moribus effingit. Cui Vigor Principe dignus, & Iuſtitiæ tenaciſſimum ſtudium indolem format, quam publica fauſtitas exigebat. Communibus omnium ſermonibus circumfertur Mens illa maximæ cuiuſlibet molis capax, Conſilia ſapientiſſimi oris, eximium ſtudium Veritatis, quo nullum inani ſpe lactat, & aulicis verbis ſuſpendit, contra plurimorum Principum morem, Summa in conficiendis negotijs celeritas, qua oblata ſingu-

lis

lis munera geminantur, Aequabilis in vtraque Fortuna tenor vitę, Gratiſſimus Animus, ac Regalis, perpetua Studia publicæ rei bono addicta, Integerrimi, & Candidiſſimi Mores. Neque verò, vt in alijs Rempublicam aggreſſis, quònam euaſurus ſit, ſpe præcipimus, auidi expectamus; ſed intuemur iam aſſecutum apicem Imperatoriæ virtutis. Alios Regimen ipſum excoluit, donatos Purpura in aditu ipſo Regiminis; Hunc Purpura exornatum, & laudibus excultum omnibus Regnum àccepit; vt proinde ineptum ſit admirari, quod in Republica temperandã, prima ipſa die conſtantem, & imminentem curis illuſtribus operam Magno CLEMENTI præſtiterit; perinde ac ſi ad rem adminiſtrādam publicam ante plurimos annos ſe contuliſſet. Vtcumque, Sāctiſſime CLEMENS, optimè de genere humano meritus ſis, nullo illud nomine magis obſtringitur Tibi, quàm quòd hunc Tecum Virum aſſidere clauo decreueris. Vſque adeò præſtat, præferendum omnibus eligi ex omnibus. Præſtat, Conſilii partum eſſe, veluti Deus

ipſe

ipſe Mente Sapientiam parit, à qua Regna omnia temperantur. Hæc tu, à Sacro Imperio, velis, remiſque, fugam capeſſens, Chriſtianæ rei commoda cum inuideres, mirum, ac magnum à Te facinus adornatum fuiſſe abnues? Itane verò quia Tecum pulcherrimo nexu coniunctæ erant illius virtutes, merito præmio fraudãdas arbitrabaris? Perinde ac omnes in Te ipſo regnantes Cæleſtes dotes proculcabas. An in crimen venere Diuinæ Virtutes, eo quod in Tuo Animo Regiam ſtatuerint, vt proinde in Te coronari non poſſint?

Quid ſaltẽ in Te admiſit Chriſtiana Reſpublica, vt illi ſubtrahere debeas Triũphũ, quo, Te renunciato Põtifice, ſuis hoſtibus inſultabit? Dolore contabeſcet, furoris inſaniâ ringetur Hæreſis, dum audiet, tandem coactum præſidere rebus humanis Heroem, quem ipſa Inuidia vereri ſemper coacta fuit, & in quo Sole ne fingi quidem labes vlla vnquam potuit ab oculis venenatis. Hos Te Catholicæ Fidei Triumphos adimentem magni criminis conſcientia non percellit?

Quæ cum ita ſint, Chriſtianæ Reipublicæ

blicæ nomine gratias agimus immortales Senatui Sapientiſſimo Purpùratorum Principum, quòd tutelam Sacrorum, & Chriſtiani Orbis fata ſuſcipere coegerint Meritiſſimum Virum,& gentibus viuere, non tamen oblitum ſui;nullus enim fœlicius Sempiternæ ſuæ conſulit Fœlicitati, quàm qui eandem cæteris omnibus mortalibus elaborat. Cur priuatis Tuis affectibus blandirentur,cum Dei, hominumque ſententia fuerit, vt inſtaurandum virtute Tua Regnum acciperes? Supereſt, vt in extrema Oratione ſpondeam Quiritibus, eundem Te in Regali Sacerdotio futurum, qui fuiſti Præſul, & Purpuratus. Vtcumque vellet, nihil in Te poterit mutare Fortuna; nimium enim diu Sanctiſſimis moribus aſſueuiſti. Nihil in Te quæſiti per ſimulationem decoris; nihil populis, & famæ plauſibus datum: vnicum ſtudium diſſimulandi eximia ornamenta Animi Tui. Non prima tantùm ſpecie blandientes, ſed cordatas, & robuſtas in Te Virtutes adoramus. His indiget publica Fauſtitas: hæc Indoles eſt verè Romana: hanc Populi exigunt in Principe, qui non breui deſituræ Famæ

plau-

laufus inanes in aditu Principatus mer-
etur ſibi, ſed ſolidam populis ſalutem,
incolumitatem reſtituat, cuius proles
atura ſit ſui Nominis Immortalitas,
mbitu Seculorum omnium coronanda.
Has Diuinas Tuas Dotes, quas ne dete-
eret, attingere non fuit auſa Infantia,
oſtra, integras, illibataſque relinqui-
nus ijs, à quibus Magiſtris informamur,
leuinctiſſimis Tibi, qui earundem Hiſto-
ià Sacros Romanorum Pontificum fa-
tos mirificè locupletabunt. Tu verò,
Pontificum Optime, & Humaniſſime,
veniam dabis, ſi ob conſilium, quod ini-
ueras, deſtituendi Chriſtianam Rempu-
blicam Præſidio Tuo, magni Te crimi-
nis, ipſius Reipublicæ nomine, inſimula-
uimus.

DE BEATO
ALOYSIO GONZAGA
ORATIO

DICTA A IOANNE PAGANO
In Templo S. Ignatij Pridie Kal.
Iulias Anno 1670.

INter cætera, quæ religioſo proſequi cultu debemus Arcana Cõſilia Diuinitatis temperantis fata terrarum, Eminentiſſimi Principes, illud vel maximè Sapientum animos admiratione ſuſpendit, quod cum omnes ex æquo Mortales in hoc exilium compulſi fuerimus ad mercandam Sempiternam Fœlicitatem, tàm diuerſa, quibuſdam diuturni, aliis breuiſſimi temporis vſurà indulgeatur, ad negotium maximum tranſigendum. Propè mille olim annos quamplurimi vitam agitauerunt: at ſi centum in præſẽtia prætergrediaris, videberis Phœnix. Cum enim, præter cæteras cauſas, aucta mirum in modum fuerit ſagacitas frau-

dis, & ſitis Imperij, quæ ſi diuturno annorum curſu foueretur, perpetua ſereret bella, conuerſioneſque Regnorum aggrederetur, Prouidētiſſimi Numinis Sapientia, vt hominum ſuperbiam elideret, ſpatia vitæ contraxit. Adhuc tamèn poſt coarctatos terminos mortalitatis, ſtupore defigit diſcrimen ætatis Sanctiſſimorum Virorum, quos promiſcuè ſera, cita mors rapit; ac præſertim ſuſpicimùs cauſas, quæ Ideam Cæleſtium Adoleſcentium Aloyſium Gonzagam immaturo funere terris eripuerunt. Illas ego dum breuiſſima perſequor Oratione, à Iuuenili Aloyſij occaſu incomparabilis eiuſdem Sanctimoniæ argumenta conficio.

Ac primò quidem Cæleſtis indoles Tua, odiumque perituræ fœlicitatis breui recluſit anguſtias carceris, quo anhelans Regno Immortali ſpiritus includebatur. Quot lenocinijs amorem Tuum natura in Te ſuorum munerum profuſiſſima venata eſt! Quà ſplendore Generis, Auita, & Paterna gloria, Conſanguinitate Regum, & Exercituum Imperio præclariſſimi: quà deſtinata Tibi, non vltimo inter Sacri Romani Imperij

Prin-

Principes, pulcherrima ditione: quà præſtantis Formæ, ſuauiſſimæ Indolis, caſtiſſimos omnium amores rapientis, eximij Ingenij, Prudentiæ, aliiſque omnibus Te commendantibus illuſtribus prærogatiuis.

At non hiſce blanditiis Aloyſii amorē demereri potuit Natura mortalis, qui Nouercalia, & hoſtilia illius eſſe munera probè compererat. Enimuerò cum Aloyſii vita perpetua ex rebus humanis fuga, & exilium fuerit, mirabimur, ingratiſſimum illi fuiſſe, adeòque violentum, & breue?

Quid quod ipſemet, Sanctiſſime Adoleſcens, ſummo ſtudio flagitaſti, vt ver ætatis Tuæ hortis Cæleſtibus insereretur. Quid autem non impetrares à prodigioſa, qua in orando vtebaris, Numinis facilitate? Quibus Cælum iaculabaris, vota, & expreſſi horribilibus flagellis ſanguinis eloquentia, ab obſtinati propoſiti tenaciſſimo Parente Tuo tandem extorſerant, vt Tibi liceret, nuncium remittere rebus humanis: arma iam fermè rubentia è Principum manibus excuſſerant: pugnantis non rarò naturæ

leges

eges euerterant. Quidni ergo & carce-
em infringerent, quo inhians Immor-
alitati ſpiritus continebatur?

Sed enim quis præcipere animo pote-
it, quænam præcipuè Aloyſium ad ex-
ptandum immaturum funus impulerit
auſa? Vt videlicet excederet, antequam
x recepto apud ſuos more Sacras ad
ras operari cogeretur. O demiſſionem
nimi ſingularẽ! Quis Te fœliciùs pote-
at Cæleſtem exhibere Hoſtiam Diuini-
ati, qui Beatis Cæli Mentibus non in-
idebas Innocentiæ principatum? Qui
ũ perpetuò fuiſſes Numinis Holocau-
um, futurus iure optimo fueras aliquã-
o Sacerdos? Et hoc quidem ſtudium,
nmolandi Te ipsũ Patibulato Deo per
oluntaria ſupplicia, per flagra, quibus
r interdiu noctuque regali ſanguine,
uimentum inundabas, per incredibi-
m inediam, & vnciales dapes abeunti
d Superos Animo Beatiſſimo tramitẽ
plicabat. Nec ante diem aſſequeretur
etam, ad quam ſe cæteroqui volan-
m, calcaribus, quæ lateribus inſerue-
t, acrius incendebat?

His acceſſit peſtilẽs aura, quã in Va-

letudinariis hauſit, cum operam nauauit tabeſcentibus ægritudine, quæ ſingulis adhærebat, vt proinde quoddam à Charitate illatum Martyrii genus eidem optatiſſimum terminum mortalitatis attulerit. Et hic quidem fortior morte Diuinus Amor vinculis eundem abſoluit. Cum enim contentione mentis aſſidua Diuinitati adhæreret, neq; ad humanas à Cæleſtium cogitatione rerum auocari iam poſſet, perinde ac, quem ipſæ nutriunt, igne colliqueſcunt faces, Diuini Amoris incẽdio beatiſſimo conſumptus eſt.

At ego poſt allatas, quæ Aloyſij vitam importunè abruperint, cauſas, in extrema Oratione breuem fuiſſe inficior curſum ætatis, qui ſingula momenta numerat relatis à Tartaro palmis, qui altiſſimũ etiam ſupra Laureatos Fidei Teſtes (Sanctiſſimæ Virginis Mariæ Magdalenæ de Pazzis verbis vtor) gloriæ verticem eſt aſſequutus, quique etiam inter mortales præclariſſimi æternitatem nominis perpetuò ad poſteros pertinebit. Quod ſi noſtræ iacturæ memores breui hominibus indultum fuiſſe dicimus

Aloy-

Aloyſium, id eo quoque nomine contigiſſe credamus, vt quàm primùm nobis ereptus, ſuauius amaretur ab Adoleſcẽtibus, quibus præſertim exhibuit eximiæ Sanctitatis Ideam.



DE CARMINIS HEROICI IDEA

PROLVSIO

Ab Authore dicta in Claſſe Rhetoricæ Nonis Nouembris Anno 1670.

QVæ Trium olim controuerſia Dearũ ſub Paridis arbitrio pependiſſe fertur, eadẽ Poetas in præſentia ſuſpẽſos animi habet, Illuſtriſſimi Præſules, Religioſiſſimi Patres. Pluſquã ciuilẽ illi pugnã conſerunt de præſtãtia Vatum, quorũ imitationi ſunt obnoxij. Iunonẽ quidam Diuitem & Superbam admirantur, Lucani videlicet characterem vberem Acuminibus & coaceruatis Sententijs: vel Statianum faſtigium, & ampullas, in quibus turbidum quid, & minax Iunonis indolem præfert, cuius faſtidio ipſe etiam, vt eſt in fabulis, aliquando Iupiter capiebatur. Gnidiæ alij Venuſtati cum Idæo Paſtore palmam decernũt, videlicet carmini, quod in animum ſuauius influat, variis illum, ſed præci-

puè

puè iucundis motibus excitando: aut eximio cultu, & calamiſtrata fronte Lectoris amorem venetur. Ouidij ſcilicet lepòrem, & Charites exoſculantur, qui lenocinio voluptatis, & quadam lætioris ingenij amænitate blanditur animis: vel Claudiani cura, & ſuauitate deliniti, hunc præ alijs omnibus habent. Palladis demum ſe ſtudio capi profitentur omnes, Virgilianæ ſcilicet formæ, in qua languidum nihil, & cadens, tumidum nihil & contumax, omnia venuſtiſſimè compta, & amabilem ſpirantia maieſtatem, non Troiani, ſed Amphryſij Paſtoris, Apollinis oculis digna. Nihil hoc Poeta cogitari poſſe diuinius, inficiatur nemo: eumque miris illi etiam efferunt laudibus, qui carmen aggreſſi ab illius ſtylo maximè abhorrent. Famianus Strada, cuius nomen ipſum inſigne præconium eſt, cum hinc de more in Repetitione literarũ Honorarios Auditores alloqueretùr, prouinciam ſuſcepit, litem hanc dirimendi; ſed promptis Recentiorum carminibus Poetarum, qui Veterum exemplo dicere inſtituerunt, concionem dimiſit. Id certè

præſtitit ea fœlicitate ad omnium ſe ſe morem conformantis ingenij, vt Pythagoræ arbitrio viſus fuerit excitaſſe ab vmbris, quoſcunque Authores reuocauit in roſtra. Sed cum ab ſe quodammodo reiecerit cauſam, & digladiantes de Veterum æſtimatione Poëtarum ad populum allegauerit, cui pulcherrimas eorum dem repræſentauit imagines, perinde nihil certi ſtatuit de vnius ſuper alios dominatu, ac certi nihil ſtatueret, qui, ſi quæſtio conſurgeret, cuius ex Purpuratis Principibus, quorum non ſemel ora ſumus intuiti, forma eſſet Imperio digniſſima, eorundem tantùm vultus pictos coloribus exhiberet. Enimuerò ſi incertus animi eram, cum eoſdem ſpirantes oculis vſurparem, perinde anceps futurus ſum, poſtquam picturę artificium eorundẽ ſimulacra oculis ſubiecerit. Haud abſimili planè de cauſa ſi, poſt volutatos diu multumque Veteres Authores, adeò vt, Satyrici formula, totus decolor mihi ſit Flaccus, & hæreat nigro fuligo Maroni, adhuc eruditæ ſuper illis factiones ardent, perinde flagrabunt, poſtquam efficta ad eo-

rum

rum ſimilitudinem carmina in medium allata ſint. Innuit quidem Strada laudes aliquas ſingulorum ; ſed vix quicquam de Virgilij charactere docet : neque eoſdem inter ſe committit, adeòque non præcipit, cuius maximè ductum ſequi debeant Poeticæ artis Candidati : an vnius tantùm penitus inſtitutioni dare ſe debeant : an, cum ex innumeris dotibus perfecta Poeſis conſtet, laborandum in eo ſit, vt certam aliquam è ſingulis hauriant. Hoc proinde nobis præſtandum ſupereſt in præſentia, vt obſequamur ſtudijs ingenioſorum Adoleſcentium, qui ferè quotidianis præliis Poetas variè extollunt, depriimuntque : iidemque, quam egregiam ad carmen à natura indolem nacti ſunt, praua non raro imitatione corrumpunt.

Sed enim fruſtra ſerimus litem, quam ſoluere nullo negotio poſſumus? Virgilius ſcilicet exprimendus vnicè eſt, qui vnus inter Poetas ſciuit, quid eſſet non ineptire : Iulii Cęſaris Scaligeri verbis vtor, quem, ſi mihi dicenti adeſſet, inuaderet vis ignea, furorque ſupra omnem Poetarum inſaniam, adeòque ela-

tis humeris, oculis intentis, & hoſtem figere paratis in me inſurgentem audirem, aut abeuntem viderem: aut, ſi Eruditiſſimę Coronæ auctoritas illi frænum iniiceret, ſtomachatus, eò quod iniuriã irrogarem Principi Vatum (Satyricè deſcribamus Principem Criticorum)

Si dicenti ſors commodet aurem
Scaliger, excantat quem voce veneficus, anguem
Dixeris: obliquis oculis ſi roſtra tuetur,
Fulmineo nos obtutu, & liuore veneneet.
Nunc diducto animam & criſpante reciprocet ore,
Quod cinerem inuitet, calidæque ſiliginis offam.
At nunc inceptos naſo indignante cachinnos
Strangulet obiectu dextræ: Nunc vulneret aurem
Vicini, cubito quem tangit: Nunc graue ſecum
Cornicetur, ſecreto & ter murmure ineptos
Nos dicat; quamuis ſecum qui murmura miſcent,

*Famoſæ inuitent adſtantia tecta colum-
næ.*

Hoc certè nos habitu oris Scaliger excandeſcens intueretur, quaſi Iupiter Mineruam, vt inquit ille, parturiens. Nos verò licet Virgilio mirificè dediti, quem cõſtat, Latinis omnibus Apollinari gloria præſtitiſſe, & licet Scaligerum nobis iratum nolimus, glorioſum videlicet militem, qui Homero ipſi Poetarum Coryphæo negotiũ faceſſere auſus fuit; tamen nihil de Virgilij laudibus detrahentes, plurima in aliis quoque ad effingendum Poetam eximia deprehendimus.

Ac primò quidem Virgilius ad ſcribendum Epos omnibus ingenuis artibus, ac doctrinis inſtructus acceſſit, complexus animo Diuinam omnẽ, quæ quidem Græcis, & Latinis eò vſque innotuerat, humanamque Philoſophiã, ac Terrarum, & Siderum dimenſiones, & ſitus. Vt multiplicem hanc Virgilii doctrinam præſeferre Poeta poſſit, omnes ſcientia, & cognitione comprehendat. Profectò licet cũ Scæuola inficias nonnulli eant Lucio Craſſo apud Tullium

primo de Oratore aſſerenti : nullis certarum rerum cancellis artem Rhetoricam circumſcribi, ſed ex omnium ſcientia, quam Græci Encyclopædiam dicunt, Eloquentiam effloreſcere ac redundare, quæ niſi ſubſint res magnæ, inanis quædam erit elocutio, ac penè puerilis: licet, inquam, ſecus aliqui arbitrentur, affirmantes: plurima Rhetori licere neſcire, eò quod cum populum ex propoſito ſuæ arti fine alloquatur, vix petere quicquã debeat ex propriis, adeòque abditis fontibus doctrinarum, qui vulgo imperuii ſunt; Hæc tamen ſi effutiant in Poetas, inepti erunt; cum illi eruditos præſertim, & omni doctrina excultos quærere Auditores poſſint, ex præſtituto ſuæ arti fine docendi pariter, & oblectandi.

Scribendi rectè, ſapere eſt & principium, & fons.

Nec deerunt aliqui Poeticæ ſtudio laudis incenſi, qui cum ipſis

Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis,

ne naturæ fontes poſſent accedere, conferant ſe ad hanc artem, quam aſ-

ſequi

ſequi loquentiâ ſe poſſe confidunt? Iis certè præcepit Maro, vt ſiluas, & flumina ament inglorii, non audeant aſpirare ad illam, quæ demū aptè loquens Sapiētia eſt,& in qua,ex præclara Ingenioſiſſimi Viri ſententia, ille tantùm excellet, quem è ſuo eductum ſacrario Philoſophica Pallas commodat Muſis. Lectiſſima igitur doctrinæ ſemina,Virgilij exemplo,in carmine ſpargenda ſunt.

Mirabilis præterea eiuſdem Allegoria ſub inuolucro fabularum Ciuilis, & Militaris Virtutis Exemplar proponit, & naturæ florem vndique decerpens,eo vitali quaſi colore fabulam pingit. Adeòque vera cum ſpiret hominum indoles in actionibus fictis,Scriptori Carminis, præſertim in longum producti, author ſum, vt per Virgilii veſtigia texat Allegorias, tùm quæ ad ſcientiam rerum, tùm quæ ad mores hominum ſpectant. Cæteri etiam Vates hunc lapidem mouerunt, ſed nullus poſt Homerum Virgilio fœlicius.

Idem præterea mirabili Iudicii laude caſtigat, ſi quid, exultantis impetu Ingenii extra chorum actus,peccauit Ho-

merus. Quicunque hac iudicandi ſolertiā deſtituatur, non ille à me vnquam ſalutabitur Vates, vtcunque numero carminum vincat Anthorem Amazonidos Marſum. Afflari diuinitus Poeta debet; At Ratiocinationẽ profectò & Sapientiam, non inſaniam hauriet ab agitante pectus Diuinitate. Iudicium quidam ſextam Rhetoricæ, quà ſolutæ, quà vinctæ numeris, partem eſſe ſtatuerunt: in eo tantùm decepti, quod non ſolitaria ſit, & ab aliis diſiuncta, ſed permixta ſingulis, & veluti ſanguis per vniuerſum corpus æquè diffuſa Hæc iudicandi præſtantia Latinæ Poeſis imperium Virgilio aſſeruit, cuius prudentiam ſi quis expreſſerit, præcipua vtetur virtute Principis vatum. Progreſſus rationis, quo alia ponuntur, deducuntur alia, componuntur inuicem plura, non modò in Heroico, ſed in omni carminum genere, & in ipſis etiam vtcunque audaciſſimis Odarum Epiſodijs eniteſcit: vt videre eſt in Horatio, qui poſt Virgilium acerrimo iudicio cæteros anteiuit: & in luſibus Epigrammatum, quæ vt plurimum Epicheremate, ex vno in aliud ducta ratio-

tiocinatione, comprehendi debent. At quorundā ſcriptiones nūdinas eſſe dixeris rerum omnium, quarum multiplicem, & inter ſe perplexam congeriem alieniſſimè,& præpoſterè euoluunt,camque inflant tumentibus buccis, in quas ſi pictor intueatur, referre coloribus poterit Ventorum Imagines: quæ tamen iactantia inanibus hiſce nugatoribus nō parum prodeſt; ijſdem enim Adoleſcentium plauſus extorquet, & quorundam etiam virorum, qui in hac arte omninò peregrinantur; ijs enim nefas videtur, non plaudere illi, qui ſuperbo eo habitu oris & heroico ſpiritu ſibimet ipſi plaudit.

Vt ergo Iudicii præſtantia finitimus Virgilio ſit omni ſtudio contendat Vates, eamque præſeferat apta inuentarum collocatione rerum, alias ſecum atque alias, quaſi conſertis manibus, educens: cautè circumſpiciens, quid cuique argumento conueniat, quid tempori, quid loco, quid rei: non inſerens fabuloſa Numina Martem, & Iouem Chriſtianorum præliis: neque Proteum inducens, plurima de noſtræ Salutis Aſſertore vaticinantem.

nantem. Ab ijs præſertim quàm longiſſimè abiunctus, qui eoſdem Tartareos Deos Cælo redonant, referentes eorum colloquia cum Sapientia, Religione, Fide, cæteriſque huiusmodi Virtutum Ideis, quæ Diuinas animi prærogatiuas repræſentant. Aut ſi non ineptas cauſæ perſonas Poemati inſerunt, ineptiſſimas tempori eorundem conciones afferunt: vt Optimus cæteroqui Vates, qui duobus libris exequitur ea, quæ dicit, à Sanctiſſimis Viris Ioſepho, & Ioanne narrata fuiſſe Pilato, qui ne præſtolari quidem potuit, quò ad vſque interroganti ſibi Sapientia Diuina explicaret, quid eſſet Veritas.

Et in Concionibus quidem præcipuè Iudicij lux effulget: tùm in cauſis bellorum, & cæterarum rerum, quas celebrare aggredimur, afferendis: tùm in ſelectu laudum, quas Heroi tribuimus, in Natalitijs, in Victorijs, in aditu Principatus: in quibus certè opportunitatibus ineptiſſimè ſuas partes obeunt illi, qui egregium nihil deſcribunt, ſed ad inania effunduntur; adeòque Satyram re ipſa cudunt in eos, quos in Cælum ferre minati cum

ti cum ſint, ac deinde nullius præclarę virtutis commemoratione illuſtrēt, oſtēdunt, indignos eſſe, qui à ſuis præconibus commendentur. Vt ſi Epinicium, Imperatori pangas, à quo in haſtiludio tantùm, aut nocturno cum vmbris prę-lio, non cruenta cum hominibus pugna, ſtrenuè decertatum fuiſſe dicas: aut ſi Triumphale carmen Nouo Principi canas, cuius tantummodò ſpeciem, poeſim venationes: non heroicas, quæ requiruntur in Principe, prærogatiuas enumeres.

Sunt qui Poetæ nomine cenſentur, & peculiare nihil ab Heroe præſtitum, ſuo numeris vnquam incluſerūt, ea tantùm narrantes, quæ de alijs Principibus cæteri Vates cecinerunt, quorum ſcilicet poeticos flores impreſſos animo habent. Et eodem ſtudio inconſultè adhibendi pigmenta, quæ aliis ſuffurantur, videas appingentes Delphinos ſiluis, fluctibus Apros, & vnam, eamdemque rem prodigialiter variantes; eò quod curta formularum ſupellex non ſinat illos diutius eodem in argumento verſari. Procul ab his ſcopulis flectemus iter, ſi in

iis omnibus Iudicii laudibus, quæ vnico Decori vocabulo continentur, Virgilius, erit Sidus, quo duce curſum moderabimur: cuius præterea ſtyli fulgorem ſuſpiciemus, de quo paucis diſſeram in extrema Proluſione,

Ouidius, vt aliquid interea de cæteris Poetis innuam curſim, à Virgilii Prudẽtia non procul abeſt ea tantùm parte, qua mores hominum ingenioſè, ſolerter, admirabiliter imitatur. Perturbationes certè, motuſque animi pulcherrimè pingit, aucupio voluptatis Lectorem mirificè alliciens. Nullus eo præſtantius obtemperat Horatio præcipienti:

Poemata dulcia ſunto,
Et quòcunque volent, animum Auditoris agunto.

Egregiè quidem calluit Virgilius artem tractandorum affectuum, vt patet in Quarto præſertim libro, aliiſque Diuini Poematis locis nõ ſemel; ſed quia eidem ſuum argumentum non adeò frequentem anſam præbet, exhibendi motus variè ac ſuauiter oblectantes, animoſque Cõmiſeratione, Iracundia, Terrore, Lætitia, Amore in omnem partem, ſenſumque

que pertrahendi; idcircò præclara hæc carminis virtus ab Ouidii plerunque imitatione petenda eſt. In huius Copiam Hypercritici quidam eloquentiſſimè debacchãtur, qui ſiniſtro Apolline poeſim aggreſſi, nihil extũdere ipſi cum poſſint, in aliorum vbertatem inuehuntur. Effuſum, exultantem, inſtantem ſibi, & in ſe recurrentem Ouidium dicunt, & ingenij rapiditate ablatum ab ea Moderatione, quę Mens Poeſis eſt: nimium in recenſendis rebus, non ſine ingrata oſtentatione ingenii, quæ aures, animumque impleat ſatietate: Ad hæc fluentem ſine apparatu, & nunquam non probantem id, quod ſemel fuerit meditatus. Receptum vulgo Criticorum proloquium eſt: debita Rhombis carmina, à quibus detrahi aliquid poteſt: Si quicquam ſtuticetur, ac redundet, alia quoque, vtcunque ingenii fructibus onuſta, inani foliorum pompa luxuriabunt. Hinc, cum Moderatio, & Cultus non ſemel Ouidio deſint, futilis planè profluentiæ loquacitate damnandus eſt. Parcius iſta, quicunque ſitis, non Humaniſſimi Viri. Vix vnquam præferuidum Ingenium ſine feraci

raci aliqua Exuberantia reperitur: neque magni criminis rea eſt tenuitas quędam, & ſimplicitas plena ſecuritatis: aut ſaltem, ſi extenuatur alicubi ſtylus, laudem ne cæteræ detrahat elegantiæ? A quam contempſerim ſemper, dicere conſueuit Diſertiſſimus, & Sapientiſſimus Vir; At plurimi fecerim Creticum vinum, quanuis feruore immodico exæſtuans extra dolii os effluat aliquando. De Ouidij ergo imitatione ſolliciti debemus eſſe: præſertim in exhibendo coloribus Animi Regno, & in ſingularium notatione rerum, quæ natiuæ cuiuſdam voluptatis ſapore mentem irritant: veluti cum infelix Io ſuum dicitur metuiſſe mugitum, eademque repræſentata à chriſtallino flumine ſuam, quam nuper Iunonis metu induerat, formam exhorruiſſe. Diligens præterea locorum deſcriptio ab Ouidio quærenda eſt. Addenda tamen cæteris eiuſdem laudibus moderatio, & circumcidenda vbertas verborum otioſè circumducta. Ingenio moderandum potius, quàm indulgendum: Increpandum ſæpè ac retractandum opus, plurima reijcienda, attendendæ comæ, & ſil-

ua

ua fluens minutatim depaſcenda. Ser-
uanda præſertim Horatii lex, vt ſemper ad euentum vrgeamus,& in medias res, nō ſecus ac notas, rapiamus auditorē, quam ille laudem Græco attribuit, Latino potius Homero tribuendam; cum alter effuſus non rarò ſit, & immodicus, adeòque non feſtinet ad euentum, vt bellum anhelantes Heroes non ſemel detorqueat ad narrationes eloquentiſſimas, quibus longam Proauorum ſeriem hoſti obganniunt.

Ad hæc Ouidius frequentibus animum Acuminibus laceſſit, blandè vellicantibus, argutè blandientibus, quibus pariter affluit Lucanus. Illæ porrò ex ingenioſis ſententijs maximè probandæ ınt, quæ aut inexpectatæ ſunt, aut etiam xpectationi contrariæ, aut arcana Policæ Sapientiæ. Hoc veluti ſale, Ciceros verbo vtor, reſpergendum eſt caren: & eo quidem ſi liberalius vſus fuiſ Maro, blandius in animos omnium fflueret. Quid illis ingenioſius?

Poſſunt, quia poſſe videntur.

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Attol-

Attollens humero famamque, & fata ſuorum.

At vniones illi ſunt, quibus non candor tantùm, & pondus, ſed & raritas pretium facit. Si neque Moderata Frequentia Sententiarum Venerem, neque Acumen auferat Candorem, Virgilianis frequentiores exoptem: in Breuibus præſertim Poematibus, quæ pluribus ornamentis ſtudioſius locupletanda ſunt. Multū tamen amputandū eſt ex vbertate Lucani: velut etiā Seſquipoetæ cuiuſdam Lucano coæui, qui de Bellis Ciuilibus Carmen ſcripſit. Inuentionem quidem commendo, qua per ambages, Deorumque miniſteria refert id, quod hiſtoricè Lucanus exequitur. Sed Argutiarum Denſitatē, quodq. ipſe fortaſſe non ineptè vocat, Sententiarum Tormentū, ac prætérea characterem incultū, & à Priſco Latio degenerantem non probauerim. Ne Stylo Acumina officiant; nam ille ſi ſerpat, aut etiam iaceat, vtcunque ſublimis, & electa Sententia ſit, vix vnquam ſibi Lectoris animum conciliabit. Si coagmentatio verborum aſpera, & lacunoſa, ſi numeri diſſilientes latrare potius, quā

cane-

nere videantur, inamabile carminis
nus faſtidio erit : vtcunque illud ſen-
ntijs confarcias non contemnendis,
bilis quidem explodendi, qui profi-
ntur, abhorrere ſe ab ea laude, quæ
utè dictorum ſplendore comparatur;
tamen vtramque, Styli videlicet,
Sententiæ venuſtatem, aſſequi te poſſe
ſperas, Styli candor tibi potior ſit;
iſertus enim Pictor Poeta eſt; atqui
pictura ſolers quædam expreſſio re-
m, quæ pulchrè illarum naturam imi-
tur, pluris haberi ſolet, quàm promi-
ntium quorundam colorum pretium,
fulgor. Acceſſus verò ad idem nomen
ommutatione Vocū, vel Additione Li-
rarum, Contentio Verborum, alijque
iuſmodi tenues Aculei omninò reij-
endi, qui ludicra potius Epigramma-
, quàm Heroicum Carmen decent.
Statius magnificus oſtentator ingenij
oret illis argutè dictis, quæ à Mirabili
rum Incremento conſurgūt; præſertim
Siluis, quas Thebaidi, & Achilleidi nō-
ulli præhabent, rati, detractum fuiſſe
bur, numeros, & venuſtatem carmi-
bus à cura & cultu Authoris. Horum

qui-

quidem in ſententiam ibo nunquam; ſed neque ijs adhærebo, qui damnant in Siluis conſilium Statij, prægeſtientis in Extemporale Carmen effundi: præſertim verò illius prudentiam deſiderant in ijs, quæ profitetur, poſtero die, quàm Domitianus dedicauerat MaximumEquum, oblata à ſe illi fuiſſe; Morà enim, inquiunt, & Cultu diligentiſſimo præſeferendum erat Obſequium Cæſari debitum. At exultantis impetum Amoris moroſus cunctator minimè exhibuiſſet. Suboffenſum certè Vati Superbiſsimum Principem nulla tradunt Hiſtoriarum monumenta; quin potius abillo & laurea capitis, & torque pectoris aureo donatum accepimus. Extemporalem Poeſim ij tantùm exagitant, quos Enthea vis nunquam egit ad carmen; at illa certè mentem exhibet acrem, ac vigentem, celerrimèque multa ſimul agitantem: eiuſque ſpecimen aliquod opportunè dandum eſt; quanuis plerunque reuocandum ſit opus ad Limam: perindeac Egregij Pictores plerunque inhærent diuturno labore animandis tabulis, quas pingunt Aeternitati; ſed ijdem
in

experimentum artis eximiæ, cui quæ-
endum non ſit á cunctatione præſidium,
arbone aliquid extempore delineant
 pariete.
Grandiloquus Statij character aliquā-
lo exprimendus, dummodò eundem
iberalius etiam, confidentiuſque non,
attollamus, & Statium ſpiremus in ſal-
tibus, nedum in Siluis. Adhibendæ Figu-
ræ viuidæ & experrectæ: non omninò re-
ſpuendus vſus Mirabilis Incrementi: pro-
bandum Diſertæ Picturæ artificium, quo,
cū acerrima illi eſſet Facultas, qua mul-
tiplices rerum formas imaginamur, ita
illas carmine repræſentauit, vt ſi eædem
coloribus exhiberentur, iucundiſsima,
oculos admiratione ſuſpenderent. Ad
hæc Sonus ipſe & Plenitudo Verborum
Statij amanda in tempore, ſed eadem
Prudētiſsima Virgilij Moderatione tem-
peranda eſt; vt tuta ſit carminis Maie-
ſtas ſine Tumoris periculo, atque Gran-
des, & Pleni ſimus etiam caſta frugа-
litate Suaues. Quæ mirificè blanditur
animis Numerorum Varietas, Virgilij
tantùm eſt: in illo rotunditas plerun-
que, & volubilitas grata: identidem
flo-

floridum quid & molle, incitatum non rarò; tùm graue quid & vehemens, reſiſtens aliquando & trepidum: placet æquabile, & nulla plerunque aſperitate fractum carminis genus, placet nonnunquam, ad exprimendam rem ipſam, ſpõte ſalebroſum: decet concluſa ſæpe cum carmine ipſo ſententia, non rarò ad eiuſdem carminis initium, aut medium dilatus ſententiæ finis: decet aliquando in vnica ſyllaba conſtantem vocem conſultò cadens: in quibus Virgilium laudibus æquauit nemo, vix vllus Veterum imitatus eſt, Recentiorum aliqui fœliciter ſequuti ſunt.

Quemadmodum Varietatis induſtria, atque ſolertia in Virgilio ſummoperè congruit, ità in Claudiano ingratiſsimè aures impellit coloris eiuſdem tractus vbique idem, vnuſque duntaxat, ac ſimplex. Eò quod nunquam obſcurauerit ſonum, aſperauerit nunquam, ferè ſemper ſententiæ finem in Carminis finem reiecerit, Aureos frequentiſsimè verſus operosè limauerit, ferreus ipſe alicubi videtur auribus eruditis. Huic vni tantùm Poetarum non profuit religio-

gioſus cultus ; profuiſſet autem,ſi quam curam adhibuit in quærēda æquabili integritate numerorum , impendiſſet in ſeligenda complexione verborum , quæ nihil peregrinum Latio redolerent. Cæterum eſt amænitas quæpiam in Claudiano , eſt lepos & eruditio libero digna , eſt exemplar laudum, & obiurgationum , quæ poetica argumentatione diſertiſsimè amplificantur . Si artem denique occultaſſet,reiecta affectata ſuauitate , & anxia , ac meticuloſa ſuperſtitione , ſeſe ad Virgilij laudes fælicius effinxiſſet,cuius diuinitas ab ipſa artifici negligentia , & à ſponte quæſitis næuis Cæleſtis eiuſdem pulchritudo commendatur .

Illius quidem character vbique regius , & ipſius Apollinis ore dignus; ſed longè elegantiſsimus in libris Georgicon . Quæ in Aeneade picta inuenimus , ſpirant in alio eiuſdem opere incomparabili . Quod quidem minimè mirum videri debet , vt pleriſque videtur , qui Poeſim opinione vulgi , non ipſius natura metiuntur ; minus enim arduum eſt , cum in abiecto argumento verſamur ,

obſcura illuſtrare verbis, quàm cæteroqui illuſtribus maiorem verborũ lucẽ affundere; tunc enim petuntur metaphoræ, & ſimilitudines à rebus præclaris, ex quo fonte omnis in Georgicis Virgilij elegantia proficiſcitur, qui ferè ſemper vitam, & ſenſus, nec raró mentem attribuit rebus inanimis. At cum humana, & Heroica pertractamus, vix vllum à ſublimioribus rebus per immutationes, quos appellant Tropos, adſciſcere poſſumus maius verborum lumen.

Ad Virgiliani ergo ſtyli virtutes aſſequendas omni ſtudio enitamur, præſertim quatuor illas eiuſdem Charites, Neruum, Numeros, Candorem, Venuſtatem. Per illius veſtigia verborum & propriorum, & translatorum vnionibus carmen diſtinguamus: in proprijs eligamus aptiſsima: in translatis, ſimilitudinem proſequuti, verecundè vtamur alienis: raró afferentes primæ magnitudinis ſidera, plerunque illa, quæ lacteam viam exornant. Et methaphoræ quidem beneficio nos etiam, qui tempeſtatum iniuria, vt inquit ille, in lingua patria peregrini ſumus, eandem locupletabimus

mus. Neque enim Virgilii tantùm verba exprimenda ſunt, ſed eius forma, & quaſi indoles quædam animaduertenda ſemper, verborum complexio noſtro non ſemel Marte formanda. Identidem tantùm Virgilianæ dicendi formulæ, velut exemptilia ornamenta, ſiue aurea emblemata, in noſtro carmine, veluti toreumate, ſeu cælatura, illigandæ, atque includendæ ſunt; ſed illud eſſe debet toreumatis pretium, vt vix quidquam inter ipſum & emblema interſit. Sunt qui opus teſſellatum, ſeu centonem ex Virgilio conflant, & ſuperbi incedunt, perinde ac ſi omnium illis ingeniorũ faſces ſubmittendi eſſent; cum tamen iidem à Proba Falconia Hortina fæmina, & Capilupis fratribus ſuperentur: qui certè Poetarum Principes eſſent, ſi, vt horum ſententia eſt, primæ illis deferendæ eſſent, qui Virgilii flores liberalius depopulantur. Ad hæc iidem, veluti Stylo partes explerentur eius artis, quàm profitentur, omnes, nullam Inuentionis laudem quærunt, Sententiarum, & Acuminum nullam, nihil demum afferunt, quod cuilibet non occurreret vnum, aut

 alte-

alterum in Muſæo ſpatium facienti. E-
ducantur in lucem exangues hi carminum,
farctores, qui ſi Superis placet, Virgilianè
ſe dicere profitentur: quod fieri facili negotio poteſt, ſi videlicet eorum carmina vernaculo ſermone donentur; profectò ſucci nihil inuenietur & vitæ, adeòque exuuiæ tãtùm non ſuæ illis ſupererunt, & phaleræ alienorum verborum. Fortaſſe ſicci & ſani, vt de quibuſdam Oratoribus elegantiſsimè dixit Cicero, haberi poterunt; ſed ita vt paleſtricè ſpatiari in Poetico Xyſto ijs liceat, non tamen ab Apollinaribus Olympijs coronam petere.

Vos verò, Adoleſcentes egregij, quanuis à Virgilio excuſſæ omnes ſint Veneres orationis, date operam; vt aptè trãſlatis verbis alias ad eiuſdem ſimilitudinem conformetis: neque veſtes tantummodò Principis Poetarum, videlicet ſtyli maieſtatem, imitamini; ſed in eius penitus mentem immigrate, eius, vt ità dicam, medullis inſerimini, Inuentionis, Iudicij, Allegoriæ, Decori, ac Doctrinæ illius exprimendæ ſtudio incenſi: ad quas laudes ſi cæterarum acceſsio fiat,

quas

quas in aliis cōperimus,effloreſcet Poeſis illa,multiplicibus aliorum Poetarum, virtutibus conſtans , quam hauſta ab innumeris vrbibus Prudentia Homerici Vlyſsis , à multiplicis metalli coniugio Corynthij pretium æris , Glyceræ pictura ab omni florum genere aptè conſurgens , Horatianæ apis Dædaleum opus à delibato Tiburtini viridarij rore,Zeuſidis Alcmena ab Agrigentinarum Virginum lectiſsima venuſtate , à pluribus Hermogenis formis exortus elegantiæ decor adumbrauit.

SATYRA EXORNATIVA

PROLVSIO

AB AVTHORE DICTA

IN CLASSE RHETORICAE In Repetitione ſtudiorum Anni vertentis in 1670.

EVolutis proximè annis cum intermiſſis identidem Theologię ſtudijs, Muſis à Pallade commodarer, Illuſtriſſimi, ac Sapientiſſimi Præſules, conſentaneum duxi, ſeuerioribus diſciplinis addictum ad aliam non relabi Poetices ſpeciem, quàm Satyram, grauem illam, & ſeueram morum magiſtram. Hinc perſona tectus, & armatus flagello prodiui in orcheſtram non ſemel; ex quo moroſi nimium atque efferi notam ingenij apud iniquos rerum æſtimatores fortaſſe incurri. Eam vt in præſentia ex me calumniam amoliar, quæ officere mihi non leuiter poſſet apud Rhetores, humaniſſimum hominum genus, oſtendere aggredior: illas, quibus in improbos

s carmen armauimus, non obiurga-
ones fuiſſe,ſed laudes. Ne multis vos
orer. Argumentum habetis Proluſio-
s meæ. A Satyra magis, quàm à Pa-
gyrico res exornantur. Aderit for-
ſſe ſuperciliofus Criticus, qui, vt offi-
oſa me Satyra ſtatim illuſtret: Prolu-
o, dicat, hæc erit,an ludus? haud cer-
è ſeria, qua in repetitionibus literarum
ouos Auditores alloqui ſolemus, Ora-
io. Futilibus ſententijs exacuere, at-
que euibrare ſtylum contendis, & lau-
lem venaris ineptientium Sophiſtarum,
aluæ frontis decora, & febris, quæ ter-
tio quoque die recurrit,exaggerantium,
laruas efferentium, bubonem, noctuam,
& Niliaca portenta. Operam certè cum
illis ludes. At ſi non efficias, quod moli-
ris, magnis tamen excides auſis,& pha-
leratas nugas condies liberalis officii
feſtiuitate. Enimuerò ſi explores con-
ſuetos argumentorum fontes, quos To-
pica dicimus loca, vim ex illis emanare
nullam comperies impellendi animos in
tuam ſententiam. Parcius iſta, quicun-
que ſis, vir diſertiſſime. Non is ego
ſum, qui animum adiicere poſſim ad

opus exitu tardum, & anceps, ex quo vel lapſus cum Phaetonte mercari titulum poſſit

Hæſurum ſaxis cinerum cuſtodibus, ad quæ
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficus.

Pronum, expoſitum, quodque conficere nullo negotio poſſis, argumentum ingredimur. Seria res ſeriò agitur, non in ſcæna luditur. Philoſophi ergo ſtatuant orationi formam, & quoniam copia rerum dicendarum obruimur, curtũ ſermone rotato enthimema torqueatur: nullus fiat auditori fucus: odoribus delibuta nullis, deliciis quibuslibet incorrupta, ſine laciniis, vt inquit ille, ſine calamiſtris, nuda, facilis, expedita veritas prodeat. Et erit fortaſſe fructus operis non pœnitendus: excitatum in Auditoribus meis ſcribendę Satyræ ſtudium, ingenioſiſſimi videlicet carminum generis: erectus in omnibus audiendæ veritatis amor: quædam de genere demonſtratiuo in vniuerſum ſtatuta: depulſa quæ Rhetoribus vitio dantur, videlicet, quod adulari tantùm nouerint

rint, & mentiri.

Agite igitur, quod in magnis præ-
rtim quæſtionibus fieri conſueuit, par-
ionem eorum, quæ dicturi ſumus, af-
ramus in medium. Duo præſertim
uenio, quibus ad metam itineribus vr-
ri poſſit oratio, obliqunm vnum, al-
rum rectum. Obliquum dixerim, quo
incam: à Satyra, dum vnum illa, aut
terum labefactat, interim innumeros
mmendari, ipſum videlicet Satyræ
uthorem, Vulgus, atque adeò genus
nne mortalium, ac præſertim Viros Vir-
te præſtantes. Recto verò tramite in-
dam, cùm illum ipſum, in quem ful-
ineum Satyra carmen intorquet, ab
dem exornari, ratiocinando confi-
am. Vt autem primæ nunc ſemitæ in-
ſtam, aſſero: Satyrographum ipſum
erius multò laudari à Satyra, quàm
riptor Panegyrici ab eo, quo alijs le-
ocinatur, præconio commendetur. Si
agiſtra vitæ Satyra eſt, lex honeſtatis,
rtutum cuſtos, efficaciſſima ſcelerum
ndex, Nemeſis Tyrannorum, veritatis
umna, nobis à natura ſummopere com-
endata, inſita linguæ incredibili pro-

cliuitate ad vitia laceranda, deliciæ generis humani, extinctæ virtutis excitatrix, ſpeculum quod vel à conuiciante hoſte repræſentatum, fælicius oblato quondàm ab Vlyſſe Achilli, diſijcit veneficia, quibus perturbationes animi hominem dementauerant, atque adeò non metuendum, ſed exoptandum munus hoſtile; hæ omnes in Satyrographũ redundant Satyræ laudes, eundemque ſupra Panegyricum Scriptorem ſtatuũt, qui plerunque lactare ſolet ſegnitiem immeritis præconijs, adeòque hebetare ſtimulos virtutis, & gloriæ.

Quod ſi cætera deeſſent, atque vltró Panegyrici laudatoribus darem, non minora ab illo, quàm à Satyra, in hominum genus commoda deriuari; hæc certè indolem exhibet illuſtriorem, liberalius ingenium, ac propè diuinum; tributæ enim cæteris laudes præmij ſpe infici ſolent, conferendi ab illis, qui plerunque non niſi opibus, & potentia florentes commendantur; ſed à congeſtis in crimen maledictis commodum ſperare nullum Satyricus poſſet; niſi Pretium ipſa ſibi Virtus pulcherrimum

eſſet,

et, ac pediſſequa virtutis gloria.

Enimverò turpiſſima hæc Satyrici oles, quæ horribilior exhibita Gyganbus Meduſæ facie, intabeſcentes relia virtute, ac vitio ſtupentes ſuo potenſſimos Reges mutat in lapides, hæc, quam, ipſa deformitate formoſiſſima tyrici proles, pulcherrimum eſſe arit animum genitoris ſui. Euecti ſura regale faſtigium cordis argumenm eſt contemptus aureæ pluuiæ, quam ommendati ſpargere ſolent mortales ues: vtque ijſdem profis, laceſſita fulina, quæ increpiti torquere non rarò lent.

At præter liberalem Beneficentiam, onſtantiam, ac ſtudium Veritatis, quas tyrico laudes vindicauimus, probabiargumeuto efficitur, oppoſitas ijs, in æ obſtrepit, vitijs in eodem regnare rtutes; profectò enim ſupra proferens in lucem Eleuſina ſecreta inſaniat, ui litem alijs moueat ob eam cauſam, quam ipſe ſit appellandus in ius. Et cunque aliquis eſuriente Græculo auacior in ſcænam prodiret, ſibilis exploeretur à populo ſucclamante: Ita ne

verò in aliorum faciem intentus,

Non intueris, manticæ quod in tergo eſt?

Memineris delapsū è Cęlo γνῶθι σεαυτὸν

Tange miſer venas, & pone in pectore dextram,

vt aliorum deinde ſalutem explores. Enimuerò de alienis moribus audere nil poteſt, qui eiuſdem criminis compertus eſt. Porrò vix vlli ſceleſto latere licet, præſertim ſi aliorum ipſe crimina aggrediatur; ſolet enim in Cynicorum vitam diligentiſſimè inquiri;

Concionem populi ac Procerum non coegiſſent veteres Satyrographi, & vel Auguſto menſe carmina recitaſſent, cum denſo ſeſſore roſtra, & columnarum periſtilia frangerentur, niſi intacti vitijs ipſi fuiſſent, in quæ atrocissimè inuehebātur; inferbuiſſet enim in illos populi motus: probra, niſi etiam ſaxa volasſent; nam,

Quis Cælum terris non miſceat, & mare Cælo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegū,
In tabulam Sullæ ſi dicant diſcipuli tres?

Dum ridenti amico circumpræcordia

a ludens Horatius illius vitia expro-
at: neq; melle tantùm labia contingit
icis, quo medica potio hauritur, ſed
ſo ambroſiæ potu ſalutem affert ani-
o laboranti: Dum turbidus auro Lu-
ius fluctuat, & cui naufragium mi-
tur, ingerit opes ſaluberrimæ Diſci-
næ. Dum tetricæ Perſij noctes lucem
aborant animis, quos intempeſtæ cri-
inum tenebræ inuoluunt; illi namque
profundo quidem, non tamen obſcu-
, docentis Auli puteo, fælicius quàm è
teo Democriti, veritatem educunt:
um cultus diues, & Eloquens ſapien-
a Iuuenalis Lectores inuitat, adeòque
landitur ijſdem, quos vexat, vt ado-
ent dexteram ferientis: ac dum à ſin-
ulis Scriptoribus Satyrarum imago a
imi ſui verbis cordatiſſimis exhibetur:
xpertes illos fuiſſe crediderim ſcelerũ,
ontra quæ tantos turbines in luce vrbis
omæ concitabant.

Vtque Sacram etiam Satyrám deli-
em, dum erumpentibus ex ore ful-
etris, voce tonantes in ſcelera, quæ nu-
dexteræ, ac ſententiarum pondere
ulminat, Sacrum Oratorem audimus,
ſta-

ſtatuimus apud animum noſtrum, diuino amore vehementer æſtuare huiuſmodi virum, qui non præſeferat theatricæ facundiæ pompam ſubhaſtans vocem, ſed adeò lateribus, & vitæ non parcat ſuæ, vt feruidæ immoriturus pugnæ, qua vitia inſequitur, videri poſſit. Quod ſi Orator ipſe alicuius ſit criminis manifeſtus, vel eius dubia fama gliſcat in vulgus, non ille cum hominibus pugnam conſeret, aggreſſus auellere ab ipſorum fibris, quæ ſingularia vitia iiſdem altius inhæſerunt, veritus, ne ſua in ſe arma retorqueantur; ſed vix in hominis ſimulacrum, velut in Haſtiludio fieri conſueuit, audebit incurrere. Satyra ergo, quæ ſingularia flagrat in crimina, in Authore ſuo florere arguit oppoſitas iiſdē criminibus laudes, adeòque Satyrographum ipſum pręclarè hoc artificio commendat.

Quid quod non honeſta tantùm & conſentanea virtuti, ſed & inepta, imò etiam aliquando à liuore parta Satyra maiorem, quàm Panegyricus, præſertim apud vulgus, videlicet apud pleroſque mortalium, ſapientiæ, aut virtutum

fa-

famam conciliat Authori ſuo. Si applodentem pedes, intendentem oculos, corrugantem frontem, iactantem manus, verba tonantem aliquem audias, non in omnes modò Recentiores Philoſophos, ac Poetas deſpuere, ſed & pleroſque Veterum carpere, ac vix Ariſtoteli atque Homero parcere, idque præſtare ea vocis, & animi contentione, vt conſpuat eos, cum quibus certat, & conſputus abſcedat, (Sanctiſſimi Viri Hieronymi verbis vtor) an tu incertus animi ſis, hunc ob liuorem, aut amentiam debacchari: & tamen eius dicta Cirratorum ſunt dictata, & vulgus ignauum, ac præſertim turba diſcipulorum, vno minorem Apolline hunc arbitratur, qui niſi eximiæ in Philoſophia, ac Poetica facultatis ſibi conſcius eſſet, Populo iudice, nõ auderet in Peripati ac Parnaſi Proceres impetum facere. Quapropter ob Satyræ audaciam in eam venit opinionem doctrinæ, vt dignus, qui forfice aggrediatur Muſas, videatur ille, à quo tonſore nollet Apollo minui oues Admeti.

Qui verò non conantur hæc grandia,

ſed potius liberales in alios congerunt laudes: neque vnicum Stagyritam venerati, aliquo etiam in loco eſſe putant cæteros aſſeclas ſapientiæ, nullo ipſi ſunt in numero apud vulgus, quod ſuæ ſibi conſcium tenuitatis illum credit, qui plurimos admiretur. Atque adeò patet: ſecuriori apud vulgus, quanuis iniquo tramite, ad ingenii famam illos graſſari, qui Satyras, vel improbas, quàm qui Panegyricos, licet honeſtiſſimos, adornant. Hac ſpe fretos audias quoſdam, quorum ſapientiæ qui non diſpliceat nullus ætatem agit, qui licet, vt de omnibus iudicent, nullius iudicio meruerint, peruerſè tamen ac malignè Authores omnes criminantur.

At Politicæ Prudentiæ, & acris exiſtimationem Iudicij extendit alijs Satyra iniquior. Genus eſt hominum, quos naſci reges oportuit, cum immanis illos exagitet libido librandi fata regnorum. Hi cum Hiſtoriam primoribus labiis attigerint, præſtantiora Heroum facinora perperam interpretantur, ac ſemper Hominibus imputant Fortunæ crimina. Hinc illi non degeneranti ſæpius mortalium

ium indoli tribuunt dedecora Tiberii
ęſaris ; ſed liuori Cæſaris Auguſti,qui
dem Imperium Orbis terræ tradiderit
iertendum , & comparatione deterri-
ia ſibi quæſiuerit gloriam . Hinc, ſi eos
idias , non Immortalis Regni amor
Carolum impulit ad abdicandum dia-
dema Cæſareum ac Regium, ſed metus
improbæ ſortis , quæ fæminæ in morem
fauiſſet florenti iuuentute ęmulo Regi ,
ex quo veterem ipſe gloriam corrupiſ-
ſet. Qui verò nunc temperant Europam
Reges , ſiue illam armis tutentur , ſiue
ornent moribus , emendent legibus , in
publica ſemper commoda peccant , ſi
ſtandum eſt horum ſententiæ . Hinc illi
vulgò Politices magiſtri audiunt , qui
Reipublicæ adminiſtrandæ articulos no-
uerint omnes , & arcana prudentiæ lyn-
ceis òculis introſpiciant . Cum ex his
Seſquicatonibus aliquis luculēter audax,
in verba proiectus , cui frons contem-
ptrix , oculi torui,benè palliatus,& grae-
uedinoſus ſenex , faſtidiente manu iden-
tidem erigens barbam, ſuis animis indi-
gnum ratus in conſcerpendo vulgo cō-
ſiſtere, vires ac virus ſuum diffundit ad

Re-

Reges, eorum placitis obſtrepit omnibus, victoriis ipſis ſuccenſet, vt acutos, vt bibulos præſtò habet Auditores! Vt quibuſcunque ille virulentis verbis impetat Principes, vulgus omnia credit

A fonte relata

Hămonis, quoniă Delphis oracula ceſſant;

quamuis perinde ſint oracula, quæ docta horum è tuſſi crepant ineptiæ, quàm quæ Hammonis è fonte referebantur. Vt poſtquam horrida tandem illius tempeſtas detonuit, populariter inclamatur.

En animum, ac mentem, cum qua Dij nocte loquuntur.

Et tamē illi plerunq, ſunt mortaliū ineptiſſimi, quibuslibet Antyciris inſanabiles, triremiū non raro ob linguæ petulātiam candidati, ſilicernia delyrantia, quorum omnis ſapientia eſt, peſſimè de genere humano, nec optimè de Diuinitate ſentire; niſi tamen peius de ipſo ſentiunt Deo, quem nullum eſſe, ac Manes eſſe fabulam non raro arbitrantur, qui politicæ calliditatis magiſtri perhibentur. Quamobrem vel inepta, & iniqua, ne dum ſapiens, & ſaluberrima

Satyrà magnam,ſaltem apud vulgus,
eſt pleroſque mortalium, famam
ientiæ molitur Authori ſuo, adeòque
m egregiè commendat; cum ſecus
ontę liberaliter omnibus laudes ipſos
uando laudatores ludibrio tradu-
t, præſertim ſi ad celebranda omnia
ncipum decreta propemodum com-
li ab optima indole videantur.
Atque eo præcipuè nomine Satyricis
lgus fauet, quod hæ non humaniſſi-
belluæ, Satyricus videlicet, atque
lgus, mutuò ſe ſcabunt, vt eſt vetus
agium: neque qualencunque ſe po-
o præconem, ſed adulatorem Satyri-
exhibet,ex ingenioſa ſententia Præ-
ntiſſimi Viri. Vulgo aſſentari Saty-
n abnuis? At enim dum ſummos il-
iros inſectatur, & vulgo exęquat,ip-
et vulgo lenocinatur, quod inſpera-
excuſſos à ſua ceruice intuetur, & in-
ſe abiectos à Satyrico Reges, ac Cæ-
es. Cum hęc mortalia Numina pro-
s onerantur, virtute ſe populus in-
luit ſua, ac ſibi plaudit in ſinu, vt Re-
ium criminum inſonti; Quanuis ſi
net excutiat, neceſſitati, potius quàm
vo-

voluntati ſuam innocentiam referre non rarò debet acceptam.

Si ab illis, qui ex Pythagoræ diſciplina, non vno tantùm quinquennio, ſed pluribus luſtris, nullum omninò ſapientiæ monumentum ſuæ proferre dignantur in medium, quæcunque aliena prodeunt, atro dente appetita dilaniantur, tunc alii, qui metuentes dicendum ſibi à Iudice diem, ſi literas didiciſſent, pepercerunt libris, geſtiunt, eò quod Amuſi conſenuerint, & contempſerint diſciplinas non profuturas, imò concitaturas contra ſe obtrectatorum inuidiam.

Si curuos Regum in mores Satyrici ſtyli mucro contorquetur, Fortunam in ius vocant vulgares homines, quæ non ſuæ virtuti recreandam Rempublicam, ſed vexandam tradiderit inſanię Tyrannorum. Supra Regum ergo capita Vulgus incedit à Satyricis Poetis elatùm: de Cęſaribus, atque adeò de Mundo ſententiam fert: voluptati ſeruientes ſuæ, ac veluti ludentes in ſcęna moriones habet maximos Principes, in quorum triumphales vmbras ſuę colubros

fe-

ulæ Satyra intorquet. An non er-
genus hoc carminum blanditur vul-
? An præſtantiores in illum non con-
rit laudes, quàm Panegyricus, à quo
n Principes exornantur, ſua populo
lecora exprobrari videntur? Quod ſi
gus omne à Satyra, aliqui tantum
roes à Panegyrico illuſtrantur, con-
t, multo plures eſſe illos, quos Di-
um hoc, non Furiale, Satyrici carmi-
genus exornat.

Quid quod non modò vincimus nu-
ro eorum, in quos præconia diuidit
yra, ſed & pondere, ac præſtantia
dum, quas iiſdem attribuit, ipſos
latores Regum anteuertens. Vtcun-
enim Aulici ſe fingant ad domini
enium, nunquam tamen ad illum
ectandum inducere in ſcænam per-
as poterunt, quæ fortunam ſui Re-
tanto ſuperent interuallo, quanto
ſtant vulgo mortalium Auguſti, &
xandri, quos ad exhilarandum po-
um in Orcheſtram Satyricus Vates
ucit. Sed indecorum eſt, inquies,
diri populo, & plerunque ob ſua
a promerito probra, plauſus ingere-
re.

re. Ain verò? At quis, ò bone, vrget in præſens, iure omnes ac meritò á Satyra celebrari? Authores tantum ſumus, plures omninò, quoſdam quidem ex merito, alios animi gratia, & officioſiſſimi, quo Satyra eſt, ingenii, ab illius iocis, ac ſibilis, quàm à Panegyrici obſequiis, ac blanditiis, in Cælum euehi.

Iam verò, vt nutui morem geram tuo, palam faciam, quod erat in partitione alterum, prouocantes videlicet omnem laudem Præſtantes Viros magis, quàm à Panegyrica oratione à Satyrico carmine commendari. Cęleſtis ac Diuina eſt origo virtuti, & eius pulchritudo mortales oculos latet, ideòque raros adeò ſectatores habet, quæ ſi noſtro intuitu poſſet vſurpari, mirabiles, vt inquit Plato, in omnibus pareret amores ſui: At deformis, & horrida vitiorum facies non adeò eſt incomperta; quædã enim eorum nobis congenita, quædam à nobis ipſis parta ſunt. Ex his efficitur, ab illo qui ſceleſtiorum crimẽ obiurgãs, per celeberrimum argumentorum fontem, quem dicimus à Contrario, virtu-

tes

s exornet, has vmbras criminum deli-
ando, pulchriori ſtatui in lumine ſo-
n alienæ virtutis, quàm ſi Cæleſtes
uſdem virtutis radios, ac Diuinitatem
irantes mortalibus referre coloribus
ggrederetur.

Hinc quemadmodum ex magni Dio-
yſii ſententia Diuinitatis notitiam ali-
uam aſſequimur potius ex iis, quæ illi
on inſunt, noſtræ deficientis naturæ
commodis, quàm ex eandem exor-
antibus prærogatiuis, cognitionë om-
em, & admirationem abiecti infra Lu-
am hominis ſupergreſsis: ita præſtan-
um quoque virorum virtutes, illis in-
tas à Deo, ac virtutis Diuinæ particu-
s, in oppoſita magis turpitudine cri-
inum, quàm in ipſarum Cæleſti for-
a conſpicimus. Rhetorum placitum
t, fœlicius ab Oratore ſuaderi, quod
monſtrandum propoſuit, ſi à notio-
bus, ac peruulgatis rebus, quàm ſi
obſcuris, & remotis argumenta de-
cat. Hinc Veteres Panegyrici plurimi
nt in augendo decore virtutum com-
ratione diſſimili criminum. Hinc Pli-
us Iunior, Laudatorum Idea, ex per-

petuo

petuo diſcrimine, quod Traianum inter, ac Domitianum, cæteroſque peſſimos Cæſares animaduertit, mirabili artificio ſui Principis laudes amplificat. Cumque huiuſce ſæculi, inconſulta fortaſſe, moderatio, deſueuerit penitus, noſtrorum Heroum prærogatiuas à contrario cæterorum dedecore exaggerare, memini me audire querelas Ingenioſiſſimi, ac Diſertiſſimi Viri, idcircò vberrimum à nobis ſponte præcluſum, eloquentiæ fontem, expoſtulantis.

Sed quid in expoſita, & manifeſta, re diutius immoramur? Non illos modò, in quibus florent oppoſitæ criminibus, quę Satyra vexat, prærogatiuę, ſed illos etiam, in quos efferatur, ipſamet Satyra extollit. Ac primò quidem commendamus profectò illos, quibus exhibemus ea, quę ipſi proferre, poſſint ſuarum laudum argumenta,. Porrò arguitur, eſſe pręſtantes viros illos, in quos ſatyrici ſerpentes flagrant; hi enim non niſi Reges aggredi ſolent, aut qui in Sapientia, aut alijs dotibus animi dominantur.

Celeberrimus ille Gladiator, qui auribus

bus viduatus, audit quæcunque Regi-
e in aures Rex inſuſurrat: viduatus ocu-
s Argum vincit in conclauibus Princi-
um explorandis: neque auriculis tan-
m carentem Galbam, ac dimidios Cu-
os, ſed & naſo carentem Coruinum,
præſentans, Magnates tamen omnes
hinocerotis naſo ſuſpendit: & mani-
is deſtitutus in album nigerrimum
rpetuò collineat, Paſquillus, inquam,
ynicorum Princeps, dedignatus faceſ-
re negotium vulgo, inſurgit in Reges.
os præterea Mimus fingit, hos ludit
rra, hos nutibus Atellanus conatur
ari. In te ergo Satyra cuditur? Pau-
, vel Coſſus, vel Druſus moribus, niſi
ere, ſalutaberis? Laudi datum acce-
à præſtantiſſimis viris Religioſæ cui-
m familiæ, quod quæ in illam quo-
ie ab hoſtibus fidei Satyræ prodeunt,
bliothecam Dydimi exæquant.
Quidquod Satyrici Vates ſtellis non ra-
inſerunt & concilio Iouis, quos ad
mum allidere, ac proterere penitus
agunt. Vt enim appoſitis exemplis
r, ſi æſtuant in Catilinam, eundem
npellant Patriæ Parentem; ita vt in-

uidia diſrumpi, ac liuore peruri Cicero poſſit: ſi conuitia crepant in Craſſum, negant, illum auro incubaſſe: ſi Apicium rodunt, aut celebratum à Iuuenale Montanum, qui

Cyrcæis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinoue edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu,
Et ſemel adſpecti littus dicebat Echini,

peierant, ab illis palati delicias omnes ignoratas. Si demum, luxus inſimulatum ab omnibus, Lucullum deglabrant, eundem frugi hominem dicunt, ac intonſo Catoni præhabent, atque horrido Cincinnato.

Sed enim fucum, inquies, nunc facimus Auditori, quaſque hucuſque vitauimus captioſas argumentationes Veterum Sophiſtarum, contra datam in exordio fidem, in extrema oratione profe- rimus. Ironicè dicuntur iſta, neque reſpondet animus verbis. At ego, quæ reponam, habeo pauca. Hęccine moueant cordatos viros? Verba certè, & quidem effusè, commendant, animum laterna Diogenes nullus explorat. Quod

ſi

ſi religioni ſibi Rhetores ducant diſcrepantiam oris & cordis, non modò pulcherrimum hoc Satyræ ornamentum, ſed ipſa etiam ars Panegyrica interibit; quotus enim quiſque laudat ex animo? Sed leuiora ſint hęc, iamque in gratiam Satyræ, quæ fęnum dicitur habere in cornu, quæque etiam cornu petere conſueuit, vſi dilemmate, paucis plurima complectamur. Non laudet ironicè, ſed canino dente rodat, laceret, conſcerpat, vt libet, ac, depoſita etiam perſona, in faciem exprobret crimina, & æſtuans liuore, caua, & tumentia verba, vt inquit ille, buccis trutinetur inflatis; eximijs tamen laudibus onerat illos, in quos tanti turbinis impetus deuoluitur.

Aut enim falſum Satyricus, aut verum crimen exagitat: Si falſa ſcelera immeritis viris affingit; licet conſutis dolis tot proferat merces, quot non fuerunt in Foro mendaciorum apud Athenienſes, teſte Pauſania; nullis tamen centonibus virtutem obruet, ſed paludamento regali honeſtabit; cum enim quò atrocius Satyrici motus efferbuerunt, eò magis excitari ſoleant Auditores ad

 cau-

cauſam tantę concitationis explorandam; cumque nulla nubila extinguere, imò ne noſtris quidem oculis diu ſubducere poſſint veritatis ſolem: deprehēditur innocentia eorum, quos immeritò Satyra criminatur: laceratur ab omnibus ſcabioſus obtrectatorum genius, corruptæ, ac liuentis, aliquando etiam ſuperbiſſimę, fętus mentis, qua cæteros euertere ſatagunt, vt Regnum immeritò arrogent ſibi; eſt enim genus hominum, vt ait Terentius, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, nec tamen ſunt. Ad amoliendas demum Cynicorum iniurias fædus ineunt omnes in eo exornando, in quem immeritò Satyricorum atrocitas deſæuiebat. Quamobrem cum cæteroqui rarò conſpirent omnes ad cōferendas vni, & eidem laudes, & Phœnix Heroum habendus ille ſit, qui, Authore Saluſtio, cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus erat; vnius, aut alterius Satyræ maledicta, in quibus conuellendis laborant omnes, eam aliquibus famam comparat, quam plurimi Panegyrici non contuliſſent. Innumeri certè iacerent inglorij, qui, diſie-

ctæ

ctæ ab omnibus, hoſtilis Satyræ beneficio geſtum aliquem faciunt in gloriæ theatro.

Ad hæc honeſtiſſima exhibetur cauſa ijs, in quos feruent Eumenides Cynicorum, proferendi aliqua in commendationem ſui, quæ cæteroqui non ſine omnium ſtomacho celebraſſet. Nullus autem vberius commendat, quàm ſi laudator ille ſit, cui ſui regnum animi penitus innoteſcit: Quorumdam certè cineres coronat poſthuma gloria ob ea decora, quę de ſe ipſi profeſſi ſunt, ad depellendas aliorum calumnias, quæquę cæteroqui, nunquam ab ijſdem producta in medium perpetuæ noctis tenebris vrgerentur. Profectò ergo ſi falſum in crimen ringitur Satyra, præſtat Panegyrico in genere exornatiuo.

Quod ſi verum crimen diſcerpit, ipſum tamen crimen illuſtrat, & eam attexit ſceleſto famam, quæ multo illi iucundior accidit, quàm egregijs viris parta virtutibus gloria. Nullus autem inficiabitur, præſtantiorem illum eſſe præconem, qui ea cęteris laudi tribuat, quæ ipſi commendari in ſe maximè velint,

ſint; quàm qui commendatione augeat illa, quæ minus grata ſint ijs, quos exornare contendit. Atqui ab improbis potiorem haberi magnorum ſcelerum famam, quàm ab inſontibus claritatē nominis, magnis virtutibus comparatam, manifeſtò liquet; eò quod cariori illam pretio ſceleſti emunt, abiecta ſpe regni immortalis, & huiuſce non raro perituræ vitæ vſura, cuius contemptum profiteri ſolent, qui perditis voluptatibus adhinniunt, aut vltioni Diuinis legibus vetitæ, aut alienis opibus, ac præſertim immani latrocinio Regnorum, aliiſque Satyram prouocātibus culpis illuſtribus.

Quidquod ad palmarem aliquando inſaniam adegit maximę incenſa ſitis infamiæ: nec vnus Eroſtratus Epheſio Dianæ Templo flammas admouit; quibus nomen inclareſceret ſuum; ſed innumeri certò perituri, ſi Regi manus inferre, ſi perturbare Rempublicam, ſi Sacra proterere, ſi conuellere communem Religionem aggrederentur; hoc ipſo conſilio proiecti ſunt in vęcordem audaciam, vt peſſimis artibus mortem nominis euitarent, quod, vtcunque tandem, magno

ſal-

ſaltem odio laborans, latè ad poſteros pertineret.

Neque tantùm ad inurendam ſibi ab alijs notam magnorum dedecorum, velut ad optatiſſimum portum, per obſeſſa ſcopulis, & ſyrtibus maria, perque ipſa naufragia velificantur, ſed hoc ipſimet rapiunt aureum, vt ita dicam, vellus infamiæ: Sua ipſi probra denudant, ſua iactant ſcelera: cumque, occupatos æſtro tartareo, pudeat non eſſe impudentes, vel falſo aliquando de crimine famam quærunt. At præditi virtute viri contemnere ſolent, quam ſperare poſſent nominis vitam ab hominibus, & literis perituris; aut illam profectò tanti non emunt, parcentes ſempiternæ fælicitati, & huic etiam, quam agimus, vitæ; quin potius nullo prorſus pretio dignantur humanæ gloriæ auram inanem, pretium laboris ſui omne ſoluentes pro immenſo pondere gloriæ immortalis. An ergo immeritam aucupentur gloriam, & non ſuas ſibi ipſi laudes affingant; cum potius omni ſtudio deterant ea, quæ in ſe ab alijs commendantur? Quamobrē cum is, quem Satyricus diſcerpit, perdi-

tiſſimè depereat ignominioſam gloriam à Satyræ celebritate prognatam, ac maiori eius cupiditate incendatur, quàm integer vitæ, ac purus ſceleris illam cupiat, quæ à laudatorum Panegyricis proficiſcitur: cumque ille maximè laudet, qui maximam init gratiam Herois, quem laudat; quid ſequitur, niſi vt à Satyra magis commendari illum ipſum, quem conuicijs exornat; quàm à præconio illum, quem Panegyricus onerat laudibus, diſertè pronunciem?

Quæ cum ita ſint, & non ſuum tantummodò Authorem, atque omnes mortales, ac præſertim Vulgus, & ab eximia Virtute nobiles viros; ſed ipſum etiam, in quem debacchatur, ſupra quemlibet Panegyricum Satyra exornet, vos tamen, Egregij Adoleſcentes, quos erudiendos ſuſcepi, operam date, vt conſueta potius, & recepta vulgo, Panegyrici præconia, quàm arcanas haſce Satyræ laudes aſſequamini. At ſi liuido mortu veſtros mores candidiſſimos, aut eruditas ſcriptiones ſuo liuore tingente, digni hoſtibus videamini, in quos iniquã ipſi Satyram cudant, illuſtrem ex hoc

ipſo

ipſo ſenticeto metetis palmarum ſegetem: Parthorum inſtar Regum hoſtilia vos iacula coronabunt: Pulchriorem veſtræ virtutis ſoli hoſtium nubila decorem affundent; ad hunc enim ſolem ſuſpiciendum ipſa nubila oculos omnium erigent, à nimio cæteroqui fulgore fortaſſe perſtringendos.

At quoniam Satyram in aliorum manifeſta crimina non ſcribere arduum vobis erit: quis enim tam ferreus, vt teneat ſe, hoc ſeculo certè non aureo? confluant in veſtrum carmen, quæ ſparguntur in Satyrarum Authores prærogatiuæ; Iuuenalis robur, & pondus, Horatij candor, & lepos, aculeus Perſij, & atrox liuor in vitia. Illud etiam veſtris animis infixum hæreat: nulla vos exercitatione fælicius eloquentiam adepturos, quàm Satyricè crimen amplificando, quod magna ſaltem ex parte pedeſtri etiam oratione præſtari poteſt. Suſpicimus illud hoc anno in Cicerone Antonium, & Piſonem allatrante, cui certè Rhetorum Principi facundiæ Regnum maledicendi atrocitas vindicauit; diſertiſſimus enim Romuli nepotum Cicero eſt, quando in perdi-

tiſſimos ciues inuehitur. Cæterùm cum breuiſſimis omninò finibus circumſcribantur orationes pro Marcello, Ligario, ac Rege Deiotaro, quibus Cæſaris laudes exequitur, in immenſum producuntur illæ, quibus incenſus in ſuos, ac Reipublicæ hoſtes tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, ac permiſcet: atque adeò exhibet quidem Iouem hic eloquētiæ Deus (quo nomine Secundinus Rhetor Diuum Auguſtinum compellauit) exhibet, inquam, Iouem Cicero, ſed Tonantem. Cùm ergò tantoperè probetur copia Satyrico aculeo defigens, par fuit, pluribus in commendationem Satyræ proloqui. Præterea noſtram hanc fortaſſe nimiæ prolixitatis ream Proluſionem abſoluit argumentum ſuum, cum arduum ſit, paucis illuſtrare illa, quæ Græci παράδοξα dicũt, admirabiles ſcilicet veritates, quæ primo intuitu ſe nobis exhibent indutas ſpecie falſitatis, cuiuſmodi eſt: quod in exornando potior Panegyrico Satyra ſit. At ſtatim, inquies, iugulus cauſæ petendus erat. At fieri potuit, quod acutè Regulo idem cauillanti repoſuit Plinius Nepos, fieri, in-

inquam, potuit, vt genu eſſet, aut tibia, aut talus, quem iugulum putaſſes. Cuſtodienda breuitas eſt, cũ cauſa permittit; alioqui pręuaricatio eſt tranſire dicenda: & æquè non ſeruat modum, qui infra rẽ dicit, quàm qui ſupra. Sed quorſum hæc in tàm erudita corona? Eſt quidem, vt eiuſdem Plinij verbis conſidentiſſimè dicam, potior multis actio breuis, ſed inertibus, quorum delicias deſidiamq; quaſi iudicium reſpicere, ridiculũ eſt; nam ſi hos in conſilio habeas, non ſolùm ſatius eſt breuiter dicere, ſed omninò non dicere.

PROLVSIONIS PARS ALTERA.

Ab Authore dicta in Claſſe Rhetoricæ in Repetitione Studiorum eiuſdem anni vertentis in 1670.

CVm inſtitutam nuper in laudem Satyræ diſputationem proſequamur, Illuſtriſſimi Præſules, nulla exordiorum lege tenemur. Cauſam idcircò ſtatim aggredimur, reiecta in finem Proluſionis narratione Hiſtoriæ, ex qua, niſi longiuſcula eſſet, commodum nobis naſci potuiſſet exordium. Meminiſtis, opinor, propoſitum nobis fuiſſe, vt oſtenderemus: A Satyra magis, quàm a Panegyrico, res illuſtrari: Illud ipſum vrgemus in præſens.

Ac primò quidem Satyrographus ipſe vberius multò exornatur à Satyra, quàm Scriptor Panegyrici ab eo, quo alijs lenocinatur, præconio commendetur.

tur. Suum opus commendat artificem, veluti Minerua Phidiam, ac Zeuſim, Venus: quodque magis arduum ars opificium extundit, maiorem ipſi artifici laudem conciliat. Sed magis arduũ eſſe, Satyrã ſcribere, quàm Panegyricũ, accepimus ex inſtitutoribus Rhetoricæ artis; ideoque cum in hoc elaborent etiam Tyrones, illam tentare vix audent Magiſtri; aut ſi quis illam nobiſcum ſiniſtro Apolline aggrediatur, Saturam laceſſit, qua vir ingenioſus ipſam olim Saturam ſaturauit. Materies Panegyrici vltrò ſe ingerit: ex illo plurimum narrationes exhauriunt: conſueto plerunque vtitur ſtylo, figuris peruulgatis. At quæ vis iudicandi cõmendare illum debet, qui ſibi ſtatuit materiam Satyræ! Quot ille premere conſultò debet, ne infortunium veneretur, in quæ cæteroqui Satyrorum ferula colubri diſtringi amant! Quot ille tantùm curſim innuere poteſt, in alia liberius inuehi! traducere ludibrio quædam, atrocius cætera exagitare! At quod illi affulgeat lumen ingenij, cui frequentibus ſententijs illuſtrandum eſt.

car-

carmen, doctè reſpiciendum ad placita Sapientium, eruditè ad fabulas Poetarum: noſcenda Hiſtoria omnis, tanquam vngues, digitique ſui: cui ſtylus adhibendus atrox, acutus, dilucidè obſcurus, quique plerunque dedeceat quodcunque aliud ſcriptionum genus? Hoc enimverò carmen eniti, non niſi literarum fluminibus inundata, &, vt inquit ille, diuinitus emota mens poteſt: quod ego carmen Saturam dictum crediderim, propterea quod, omni delibato doctrinarum flore, & quinta quaſi natura, & ſucco ſapientiæ ſaturandum ſit.

At præter Ingenii ac Iudicii prærogatiuas, quas in Satyrico ſupra Panegyricum Scriptorem deprehendimus: Quis vrgere nouit vitia vehementius, quis eorum ſemina vipereum eruptura in partum fælicius extinguere, quis lacte ſalubriori nutrire virtutem? Iacent leges, ſi cum Satyræ viribus conferantur. Quot illæ criminibus pœnam non irrogant, quæ Satyrici Scriptoris tela confodiunt? Hinc verò patet, non ſui tãtummodò Authorem, ſed illos etiam,

in

quos ipſa efferatur, à Satyra com-
endari; namque efficacius nullum lau-
ationis genus eſt, quàm obiurgatio,
metu ſui perculſos animos excitat ad
præconia in poſterum promerenda.

An non in ipſos Tyrannos Satyræ
empeſtas atrocius tonat, qui ſe nullis
innocentiam debere legibus arbitran-
tur? Cumque non ineptè Soloni dixe-
rit Zoroaſtres: conditas ab illo leges re-
tia demum eſſe, quæ araneas quidem,
ideſt vulgus ignobile, at non aues, id-
eſt, qui Cælum ſuperbia, & potentia,
inuadunt Principes viros, illaqueare,
poſſent; ipſos tamen humani generis
arbitros Reges libentius cæteris morta-
libus nobiliſſimum Satyræ ingeniũ ado-
ritur. Vt ipſis idcircò Regibus maior
ſuum illos ad tribunal cogit, ſupremum
videlicet omnium, quæ in terris homi-
num licentiæ frænum inijciant! Per
hanc patent latebræ Tyrannorum, ac
tenebricoſa caligo dieſcit: Hæc phar-
macum propinat imbutis aſſentationum
veneno ab Aulicis ad Domini mores fa-
ctis: hæc nimia fælicitate laborantes re-
uocat ad ſalutem: huius terrore ſe non

raró

rarò temperant; ac ſibi ponunt imperij modum. Ex quo ita mecum liceat ratiocinari. Si laudes inſtitutæ ſunt ad ſtudium virtutis prouocandum, commendari non dicam Principes viros à proiectis in omnem licentiam Satyræ authoribus, qui eoſdem propemodum cogunt ad ſtadium virtutis vrgendum?

Hinc nobiliſſimam Poematum Reginam Satyram, cui Reges ipſi, & Cæſares faſces ſubmittunt, amplexæ ſunt omnes egregiæ nationes: Romana Reſpublica in Orcheſtram primùm, tùm etiam in laureatos victorum currus induxit: omnium parens natura, ac ipſa elati ſupra naturam ordinis molitrix Diuinitas ſummoperè commendauit. An non enim, vt cæteras gentes ſilentio inuoluam, priſca Romanorum Comædia Satyra fuit, qua ſingulorum vitia iocis palam, ac ſibilis defigebantur? An non, præter licentiam Saturnaliorum, quibus poteſtas exſoluta planè mancipijs fuit, ſuis vitia Dominis exprobrandi, dum ipſis propemodum immixti Numinibus videbantur, qui aureo Capitolium curru ſubibant, iucundiſſimũ mili-

militibus erat, in Triumphatores conuitia iacere, quibus excitati, poſt deuictas gentes, ſua etiam aliquando crimina debellarent. Quod ſi triumphale carmen eſt Satyra, quis ibit inficias, eãdem eſſe pariter exornatiuum carminis genus?

Quæ verò fuerint de Satyra iudicia Sapientum, teſtis Philoſophus ille non ignobilis, qui omnes de ſuo ludo Auditores coegit, non deuorare ſolùm maledicta, ſed præmio ingenti mercari; ex quo prodijſſe ferunt illum, qui laurea tandem donatus, cauillo prætereuntis appetitus, effuſus in riſum eſt, & effrontiſſimo blateroni deuinctum ſe omnibus beneuolentiſſimi animi argumentis profeſſus eſt, à quo gratuitas haberet iniurias, quas magiſter tanti vendidiſſet. Hinc ego ita non diſeeram, Auditores? Qui conſueta Panegyrici præconia palam emerit, Sapientum nullus perhibetur; Atqui profitebantur palam Sapientiſſimi Viri, carò a ſe pretio quæri ſitas in Satyra laudes. Illuſtrius ergo ex illa proficiſcitur commendationis genus. Æmulus naturæ Apelles ſan-

ſannas improbantium tabulas, quas coloraucrat, clam auidiſſimè excipiebat, vt ad eorum arbitrium refingeret ea, quæ pinxerat immortalitati; dummodò ſententiam non tuliſſet ſutor aliquis vltra crepidam ineptè progreſſus. At cæcus ille Vates, qui naturæ oculus fuit, ideam ſtatuens optimè conſtitutæ Reipublicæ, humanæ pariter, ac Diuinæ, inducit Therſitem plectentem iurgijs, quidquid delirabant Reges, ac Rex ipſe Regum Agamemnon, quæque Iupiterdeliquiſſet, audaciſſimè carpentem Momum. Quod ſi Satyra exornantur Dij, quibus profectò perpetuum laudum vectigal perſoluendum eſſe arbitrabatur Homerus, diuinum quoddam commendationis genus Satyra eſt.

Quæ demum ipſius naturæ de hoc carmine ſententia ſit, liquet ex eo, quo illam iucunditatis melle reſperſit. Omninò impatiens otij ad crimina diſcerpenda procliuitas inſita eſt linguæ, & incredibilis quodammodò natiuus pruritus auribus excipiendi Timonem aliquem, aut Diogenem, horrendas in aliorum crimina procellas excitantem. Vt faci-

iliores Cynico præbemus aures, cu-
ardeat mucro, qui
*In clypeum aſſurgat, qui turbine tor-
queat haſtam;*
iàm laudatori, qui,vt vt egregijs,He-
ibus conferat vitam nominis immor-
lem?

At verò elati ſupra omnem naturam
rdinis conditor Deus,dum præcipuum
enus exagitandi crimina, quo illa reus
pſe denudat, ac deteſtatur Sacerdotis
d pedes, artem voluit eſſe, qua im-
nortale Regnum, ac Naturæ Diuinæ
onſortium homines adipiſcantur, pro-
ectò nobis exhibuit, quid ſtatuere de
æterarum Satyræ ſpecierum præſtantia
debeamus. Si enim Satyra, qua ſe quiſ-
que damnat, cæleſtis curiæ, & ipſius
Diuinitatis plauſus conciliat illi, in
quem Satyra eadem inſurgit; ecquod
præclarius artificium exornandi alios
excogitari poteſt, quàm ſi eorundem
crimina feralibus conuiciis obiurge-
mus?

Lactat Panegyricus plerunque ſegni-
tiem immeritis laudibus, Satyra verò
ſcelera elidit: hebetat ille non raro, aut
ſo-

ſoporat ſtimulos virtutis, & gloriæ; hæc eoſdem exacuit, atque incendit: vel ſi tenues ille aliquando laudis igniculos excitat, hæc luculentum incendium exſuſcitat; nam ſi præconij ſpe ille prouocat ad ſtudium gloriæ, hæc metu diræ probrorum grandinis in ſe à Satyra exonerandæ, compeſcit à ſcelere. At quis ignorat, maiorem ſitam eſſe vim in metu, quàm in ſpe ad animos permouendos? Hanc qui non cudit in ſcelera, reus eſt virtutis extinctæ, quam cum reuocare verbis ad vitã poſſet, crudeliſſimè renuit.

Diuinum hoc artificium paucis oppidò verbis excitandi animos, quos admonemus officij, præcipuum deberet eſſe munus amicorum: eſt munus hoſtium. Ex improba verecundia diſſimulare illi ſolent ea, quæ in amicis improbanda eſſent; at cum in colloquijs vehementius incenduntur alienæ laudis obtrectatores, atque æmuli, hoſtibus exprobrare ſolẽt eorum dedecora,& dũ iniuriam adornant, ingens beneficium ingerere; metus enim, ne illa eadem rurſus hoſtis amarus improperet, cogit

a cæ-

æno conſurgere, ac præteritum de-
cus redimere in poſterum recenti me-
o laudum . Profectò ipſo Moly Ho-
erico efficacius ad animi ſanitatem
armacum eſt , quod venenatæ vitio-
m ſordes emoueantur ab æmulo . Et
irabimur quouis amore ſalubrius
dium , à quo adactus aliquando gla-
ius in pectus aduerſum , immedicabi-
vlcus aperuit ; cum hoc quotidie
rodigium pariant iurgia , quæ iacula-
ur liuor hoſtilis .

Iam verò ſi nec hoſtes inſurgere in
os ſatyricè poſſunt , quin impellant
ad præconia promerenda ; cum ſecus
amiciſſimi viri, dum laude blandiuntur,
noſtram inertiam foueant, adeoque me-
ritum veræ cõmendationis extinguant :
conſtat, Satyricum Scriptorem fæliciùs
euadere ad finem , quem duce natura
ſibi ſtatuerunt, qui omnium primi ag-
greſſi ſunt commendare virtutem : vi-
delicet, vt eiuſdem amorem vehemen-
tius inflammarent . Porrò compertum
eſt, omnium optimè homines exornari
ab illo , qui omnium fæliciſſimè aſſe-
quitur finem , ad quem comparandum
com-

commendationes à natura ſunt inſtitutæ. Igitur omnium optimè Satyricus laudat.

Quæ cum ita ſe habeant, conſilium iniuimus effingendi nouum carminum genus, quod Heroicoſatyricum nuncupabimus; nam poſt exaggerata decora Herois alicuius eo ſtylo, qui ſolet in Epicis Poematibus adhiberi, ea omnia ex improuiſo ſubuerteinus, carpendo Satyricè, quæ fuerant ironicè commendata. Egregiam adeptus eſt laudem, qui Heroicocomico charactere dicendi Hetruſcum carmen exhilarauit. Vtcunque autem non niſi improſperè nobis alea ceſſura ſit; iucundius certè ingenio pabulum exhiberi deberet ab illo, qui pugnantia in medium afferendo, Satyram videlicet, & Panegyricum eiuſdem rei, animos admiratione ſuſpendat, quàm qui diuerſa tantùm, ſed non contraria, Epos videlicet graue, ludicramque Comœdiam exequitur. Heliogabalum primò ſeligemus, quem inflatum Heroica tuba, Satyricis colubris perureimus: Auruncano deinde felle Aſtrologos potabimus, qui noſtræ libertati frænum

inij-

ſciunt . Satyricè etiam exornabimus
ilosophos illos , quos , quia ex mini-
s omnia corporibus, expertibus for-
: , conflari aſſerunt , dicimus Atomi-
s .

Interim verò narrationem accipite,
nfabulationis habitæ nuper in Algi-
, quæ diſputationi huic noſtræ aditū
ebuit . Hæc porrò hiſtorica narratio
tius ipſius quæſtionis pars,quàm pa-
gon , aut epiſodion nuncupari po-
t , ex recepto iam more inſerendi
oluſionibus hiſtoriolas, quæ proximè
cedant ad fabulas : quæque ferè My-
iſtoricorum,qui Heliodorum ſequuti
nt , ſtylo narrentur . Crebrioribus
go metaphoris indulgeamus : aſſera-
ıs frequentiſſima Poetarum loca,quæ
men non emineant extra corpus nar-
tionis expreſſa, ſed eidem inſerantur:
mque frequentibus ſalibus , & le-
ribus exacuamus , vtinam non inſul-
, & inficetis. Hæ certè , niſi nos qui-
m fallimur , præcipuæ deberent eſſe
otæ Mythiſtorici ſtyli .

Euoluto proximè Octobri cum feria-
s ab Academia agerem Tuſculi , à li-

qui-

quidiſſimi, quòd purpurea luce riſit, diei præludio inuitatus, cum quibuſdã Mercurialibus viris in Algidum eniti decreui. Facto viæ compendio ſuauibus colloquijs, in Oppidum euaſimus, tenue illud quidem, horridum, aſcenſu aſperum, perque cuius arduas ſemitas capreæ vix hærere in veſtigio poſſint: in cuius tamen ſemiruto templo neſcio quis ſacer Orator in exuberantem quadrigarũ luxum debacchatus eſt. Egreſſi oppidulo, quod oculos lachrymoſo fumo perſtringebat,

Vdos cum folijs ramos vrente camino,

Per Annibalis campos, ex quibus videlicet Capuæ meraco ebrius ſuis Romam militibus vendidit Dux ille ſi noſtræ pernicioſus Italiæ, parentibus etiã ſuis abominatus, per Annibalis, inquã, campos ſiluam ingredimur, vbi excitato frondibus igne, collata in commune opera, prandium adornauimus fermè Pythagoræum, niſi epularũ gratia, noſtro certè labore condiendum. Tum,

Vt priſca gens mortalium,

ſuper inſtratam folijs herbam, epulati, modico ſpatio quieti dato,

remetimur campos Annibalis, in
m iocatus aliquis, vt recens à pran-
Tu quidem, inquit, cum ante
ium epulare ſine caupone rationem
luxeris, Hannibal, de Vrbe Roma,
ti cæna, pactus cum militibus tuis,
enatus dormies; Afrorum enim
ibus comminui nequit Capitolij ſa-
immortale. Vt melius Seplaſiam,
iertia Campaniæ conuiuia igno-
s! An non hoc ipſo è nemore ſu-
Romanæ documenta cōſtantiæ, quæ

is vt ilex tonſa bipennibus
igræ feraci frondis in Algido
er damna, per cædes ab ipſo
ucit opes, animumque ferro?

n hic Scipio, ſcipionem certè veluti
ien intorquens togatæ Palladis mi-
inſultat triumphali vmbræ Ducis
s, qui primas duobus tantùm Im-
toribus, ſe iudice, concedebat, in
iæ viæ reliquias incurrimus, per
s grandire gradus Plautina formula
nibemur à comitum altero, aſſeren-
lud Horatij,

Minus eſt grauis Appia tardis.

go, næ tu, inquam, mones in tem-

pore; niſi enim edoctus à Venuſino fuiſſem, ignoraſſem hoc arcanum ſapientiæ, videlicet: illum, qui pedibus iter ingreditur, defatigari minus, ſi lento, quàm ſi concitato gradu incedat: perinde atque compertum nulli fuiſſet, à pulchritudine amorem conciliari; niſi hoc fuiſſet Sapphus Poetriæ pronuntiatum. Enimuerò Cælum Sapientia petere videntur ſibi, qui, Catonis ſupercilium induti, per ſingula verba ſententias proferunt nulli puero incompertas.

Sublimem intereà montis ſpeculam aſſequuti, oculis primùm liberis vſurpauimus non fictas nemorum ac montium ſcænas, ad inſignem ſpeciem, ac propemodum ad luxum, ludumque, colore, vt cum Apuleio loquar, multiplici variegatas; & quaſi de induſtria, & arte naturæ, iuſtà per interualla dimenſas, quæ vel editis aſſurgunt montibus, vel depreſſis vallibus hiant, opacantur frondibus alia, quædam rupibus aſperantur: vno aſpectu libata nemora, lacus, vrbes, quæ ferè nunquam intuitum, nunquam certè compeſcunt vota mortalium. Mox illa etiam, quæ longius

as recedunt, oculis admouere aggre-
mur, adhibitis tubis optico vitro per-
cuis: & aderat admonitor non igna-
s regionum, qui Pontinos campos
digitaret,

Quà Saturæ iacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Vfens,
Circæumque iugum:

mare Pontià & Palmarià inſula bac-
atum: & ſua Camilla ſuperbum Pri-
num: & ſuo, quod olim

Lato ardebat in auro,

erbam nectare Setiam: &

Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur,

quo Apennini conſurgunt perpetuo
rſo Italiam ſcindenteſne dixerim, an
onantes?

Dum hæc omnia cupidiſſimè circū-
ctamus, cerebroſus aliquis multo
nia ſale perfricabat. Et erat, inquit,
eræ pretium aereum in montem pro-
ere, vt hæc deſpicerem? En Pontinas
udes Romanæ potentiæ inſultantes.
cine

Contracta piſces æquora ſentiunt
Iactis in altum molibus,

Quirites, domini terræ faſtidioſi? Cõtracta vos æquora camporum intuemini, per quæ graſſatus Neptunus compeſci nunquam potuit à Romanis, rerum videlicet dominis, ac naturæ. Hũc certè debellare ſuperbum, Virgili, Roma non meminit. At illamne Palmariam dicimus per Antiphraſim, inſulam Diuorum olim exilijs, Afrorum nunc latrocinijs infamem? Excurrens verò in mare promõtorium illud, cui ferreum imminere Cælum perhibetur, quodque plumbeis importuni Syrij venti ſagittis perpetuò appetitur, & in quo deſerta omnia hinc etiam videre licet, & ſabuli aceruis compluribus horrida, quos ventorum turbo congeſſit, Circæum illud eſt,

Diues inacceſſos vbi ſolis filia lucos
aſſiduo, etiam nunc, reſonat cantu (quandoquidem Deabus, ac veneficis perpetuam eſſe iuuentutem ſanctiſſimè peierant vates)

Tectiſque ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum?

x odorata profectò cedro non oritur
mus ille ater, & craſſus Circæum in-
oluens. An vt ſuarum virium ſpeci-
en exhiberet, Tartari Coloniam ele-
t ſaga illa, in qua Elyſios ſtatueret?
elut inſana olim Regum ſuperbia edu-
bat in ſcopulis flores, non ſine indi-
atione naturæ fruſtra repugnantis
to elemento lactatos, & recreatos ſu-
s Boreæ ferocientis: eo nomine gra-
ores Catulliano illo pueris omnibus,
puellis ſuſpirato, qui

In ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratrò,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat
imber.

verò egregio monumento illuſtratur
yrcæo proximum Anxur,

Queis Iupiter Anxurus aruis

im præſedit: Anxurus videlicet, qua-
ἄνευ ξυρῦ; quia nunquam ibi ad-
buiſſet nouaculam Deorum Rex, im-
bis ad inuidiam Vulcani filij ſui, cui,
uti Charonti,

Plurima mento
Canities inculta iacet.

Et in vicinia,

 Viri-

Viridi gaudens Feronia luco,
Vxor Anxuris Iouis, fruſtra ringente Iunone colebatur. Exortos ex Anxure Apenninos Italiæ coronam dicis,

Quam ſecat Apenninus, quam Mare cingit, & Alpes?

Sub hoc diademate fatiſcet infœlix Regina magis, quàm ſub corona turrium Berecynthia. Quod maris foſſa, & propugnaculo Alpium Italiam vallauerit, naturæ gratiam dico; at eandem nouercam accuſo, quòd hoſce ſuos hortos horrido Apenninorum ſepimento diſtraxerit.

Interpellandi locus hic erat. Ita ne verò, inquam, ne amuſi erremus, licet à literis otium agamus, Aquini, & Auruncæ furor tuis fibris inhæſit, quo Satyram armas in populos, regiones, Deos? Quin tu ſaltem commendas ſubiectos lacus: ſiue hunc Albanum, cui debitos mundo aliquando commodant oculos Diuinitatis Proreges; vt fœlicius deinde oculos, curas, manus per terras, Cælumque cum ſole diſpergant: ſiue alterum, quo Diana ſpeculo vtebatur, quorum non ambitioſum argentum

leni

leni zephyro criſpatum delicium eſt colludentium Gratiarum. Gemini profectò ſtagnantium aquarum oculi dici amant: veluti ocellum Inſularum Sirmionem dixit Catullus,

Quaſcunque in liquentibus ſtagnis,
Marique vaſto fert vterque Neptunus.

Ne oculos dicerem, feſtiuè reponit eruditus hoſtis, authorem habeo exceptione omni maiorem, quem adorauimus Supremum Arbitrum ſacrarum rerum, qui huc Ciſio inuectus (quem volantem currum nuncupamus, Triptolemum ac Salmoneum æmulati) Ciſio, inquam, huc elatus, dixit: non, oculos, ſed conſpicilia hos ſibi lacus videri. At enim, inquam, Albanus hic lacus altero Dianæ ſpeculo maior eſt, & conſpicilia impares orbes habere non ſolent.

Nodum Gordium ſoluit Mythologus non ignobilis, cui totus decolor erat Natalis Comes, & hærebat nigro fuligo Varroni. Hic à gemino ouo bellum Troianum exorſus: Plures, ait, Gygantum ſpecies fuere, Cyclopum altera, quibus vnus tantùm ingens oculus

Torua ſub fronte latebat,
Magnitudine quidem
Argolici clypei, aut Phœbeæ lãpadis inſtar;
ſed truculentæ lucis horrore Arcturum referens, aut auro turbido armatum pluuium Oriona. Strabonum altera Gygantum ſpecies, non diſtortis tantùm, ſed & imparibus oculis cuncta deſigebat. Ex hac gente Panphagus fuit, quem, cum iniecta monſtris terra doluit ſuis, meruitque
Partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum,
audaciſſimi ſceleris reum amentia abſoluit; ideoque non vt cæteri fratres obrutus montibus, ſed in hunc, quem inſcendimus, Concauum Montem conuerſus fuit. Amentia porrò laborabat Panphagus Antyciris omnibus inſanabili; cum enim, vt author eſt veris in hiſtorijs Lucianus, Iupiter (ne ſibi tantùm ſecuri verticem Vulcanus diduxerit) omnibus ſoleat recludere caput infantibus, & eductum ex aureo lebete cerebrum eidem ingerere, ſtomachatus immanem Panphagi ollam, quæ lebetem totum exhauſiſſet, perexiguam

cere-

rebri ſpumam,cæterà vacuo,illius ver-
ci incluſit; ideoque Cauus hic dicitur
Mons ex vacuo capite Gygantis, qui
nunc ipſum in montem obduruit. Pan-
phagus ergo cum

Fidens iuuentus horrida brachijs
Parentis regna per arduum

ſcanderet,ne ſuperimponendi montibus
mõtes intuitũ fallerent(ad cæteras enim
dotes,non impares tantùm orbes,ſed &
acies hebetiſſima oculorũ illi erat)con-
ſpicilia naſo ſuperinduxit, quæ auribus
vægrandes triremium rudentes commẽ-
dauerant. At cum fraterno illum exi-
tio ſubducere decreuit Iupiter, & auul-
ſum turbine à campis Phlægræis hic im-
mutauit in montem; ne indecorè pro-
mineret naſus, quem ſcilicet Prudentia
& Magnanimitas Gygantis nimium
produxerant, montem inutili hac ap-
pendice viduauit. Tunc in terram con-
ſpicilia defluxere, quæ ad montis radi-
cem conuerſa vitreos in lacus intue-
mini, eoſque impares magnitudine,
prout impares oculi Gygantis erant.
Idcircò non illepidè dixit eruditiſſimus
Princeps: non oculorum, ſed conſpi-

ciliorũ ſpeciẽ ab hiſce lacubus exhiberi.
Fabulam riſus excepit, & alius iocus riſum; nihil enim ille cunctatus, poſt Iouem, & Panphagum, deridiculò Dianam habere cæpit: Eccui, inquit, præſtò eſt laterna Diogenis, qua, niſi Dianam ipſam, quæ Horatio teſte

Auentinum tenet, Algidumque;

celeberrimi ſaltem illius Templi reliquias indagemus? Ex hoc certè monte ſuam illa ſpeculari formam ſubiecto in lacu quinque omninò ſolidas quotidie horas conſueuit: velut etiam Poliphæmus ſe videbat in littore Siculo,

Cum placidum ventis ſtaret mare;

nec ſibi diſplicuit, vt narrat ipſe, ante appulſum Vlyſſis ad illas oras oculatiſſimus teſtis. Quinetiam Homeri Myſtagogus Euſtatius in Commentario narrat: fuiſſe inter ſocios Vlyſſis pictorem, qui pulcherrimam Polyphæmi faciem carbone delineatam (neque enim aliis, præter nigrum, coloribus poterat) ſecum amoris ergo Ithacam tulerit. Velut ergo marino è ſpeculo Polyphemus pendebat hianti

Ore, ſuamque oculo faciem metitus amaro,

ità ſuam diutiſſimè Diana imaginem ſubiecto in lacu contemplabatur. Sed enim Dianæ tantùm ſpeculum ſuperſtes eſt, ſupellex videlicet pretioſiſſima fæminarum? At quæ in nemora, aut quos in ſpecus ipſa Diana proripuit ſeſe? Nũ venatrix iugis Cynthi graditur, &

Comitantur euntem
Oreades,
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus?

An etiam nunc adeſt obſtetrix Alexandro, vt quando Epheſio illius Templo Eroſtratus flammas admouit? Nunc certè non minori excidio aliud eiuſdem in Algido religioſiſſimè cultum à Quiritibus Templum diruit edacitas temporis? Niſi forte, velut

Armentarius Afer agit tectumque, laremque:

ità non arma tantùm & Amyclæos canes, & Creſſam pharetram, ſed ipſum aliò impulit Templum venatrix Diana? Forte cum ipſa Syrijs canibus Cælum exagitet, & aurea iacula torqueat in Hyperboreas Vrſas, ac toto Cælo depulſas, cogat in mare delabi

Arctos Oceani metuentes æquore tingi,

 ſuum

ſuum quoque Templum ex Algido in Montes Lunæ iuſſit attolli, per immenſam coclidem ſcalam, quam commendatus nuper Lucianus è terris conſurgere narrat ad Regnum Lunæ, in quo domos, viros, ac prope illud, medio inter Pleiadas, & Hyadas aere, diſertarum lucernarum Vrbem, & alia ſexcenta prodigia ſuis oculis ipſemet vidit. Vbi certè niſi ceruorum cornibus ara Dianæ frequens erit; at ſaltem cocleis, ex Hiſtorici noſtri ſententia, onerabitur, quæ per viginti iugera in regno Lunæ protenduntur, & ex earundem aſſarum odore ſuauiſſimè victitant homines, qui apertum, ac piloſum intrinſecus ſtomachum vittis innectunt? An cum eadem Diana triformis Hecate Tartareis in triuijs vluletur, in Erebum decidit illius Templum Proſerpinæ inuidendum? At cur mendacij notam Diana inurat cultoribus ſuis, perinde quaſi, contra reſerata ab illis arcana, nequeat ſimul incolere cælum, terras, ac tartara? Toto profectò Cęlo exulaſſe Dianam oportet, cum adeò violentus huic aureo illius Templo furor incubuit, vt ne illius qui-

quidem reliquiæ ceciderint ex ore temporis deuorantis.

Hìc excitatùs vir ſuauiſſimæ indolis, idemque

Lepòrum

Diſertus pater, & facetiarum:

Quin tu pergis, inquit, argutari, & Satyram proſequeris, qua poſt homines, & regna, ipſa etiam Numina exornas? Vltimum fortaſſe verbum incogitanti excidit; niſi per Antiphraſim dixit: exornari à Satyra Deos: quo pacto à laudibus obiurgantur: velut etiam per ludum Epos impari carmine, Heroico Elegiam ſcribi dicimus: & fuit, qui iuſſit, à coquo adornari ſibi, veluti opiparum ferculum, Epigramma. At ego, ſeria, inquam, tandem aliquando aggrediamur, neque inſulſis omnia ſalibus reſpergamus, quos condire quibimus nunquam, licet ſalinas ex ore Tiberis, in quo Hoſtia vrbs condita, hunc in montem transferamus. Sapientiſſimè dictum, à Satyra commendari homines, regna, Deos, neque alio conſilio, quā texēdi Panegyrici gratia huc vſque Satyram in Siluis luſimus. Exceptus eſ-

ſu-

ruſiſſimo riſu : vt eſt moris humani, aliqua per ludum dicere, quæ deinde ſeriò tueri amamus : plurima effudi tumultuaria, ac prompta oratione, quibus efficerem : Non modò à Satyra res exornari, ſed etiam magis, quàm ab vllis præçonijs, ab eadem congeri laudes in illos, in quos inuehitur. Quæ verò tunc dixi, veſtra fretus humanitate, duplici Proluſione retuli in hanc coronam Sapientiſſimorum Virorum.

IOANNIS LAVRENTII LVCCHESINII LVCENSIS

E Societate Ieſu

EXERCITATIONES POETICAE

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

PALVTIO CARDINALI ALTERIO

Conſecratæ.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

PALVTIO PALVTIO ALBERTONIO

S.R.E. CARDINALI

ALTERIO

Archiepiſcopo Rauennati

SS. D N. VICARIO

Pontificij Status Prefecto Auenionenſi Legato, &c.

Ioannes Laurentius Lucchesinius Fælicitatem.

QVamuis Eminentiſs. Princeps, à Tuarum argumento Laudum noſtra carmina ſuperbiam quæſiuerint, nihilominus de Te ſcribentibus; Poetas eſſe non licet: quia vtcunque Ideam Opti-

Optimi ſibi ſtatuere ante oculos conſueuerint Vates, dum Heroes ſuos diſertis coloribus repræſentant; illam tamen Tuæ prætergrediuntur prærogatiuæ. At ſaltem cum omnigenæ de alijs rebus poeſi Auguſtiſſimi Tui Patrocinij decus efflagito, qua parte Tuas exequor Laudes, genus carminum ſelegi, quod non omninò abhorreat à Tuorum præſtantia meritorũ, videlicet Odas, quibus præcipuè Diuis, ac Diuinitati vectigal obſequij Muſæ perſoluunt. Dum in illis diximus: cupiditatum ab Adoleſcentia Victorem fuiſſe Te, & Candidis, & Suauiſſimis moribus exornatum: Dum Studium Reipublicæ Tuum, & ſollicitudines Sacro Principe dignas commendauimus: Dum maximis Imperijs curis maiorem Te ſuſpeximus: Ac demum Iuſtitiæ, ac Pacis, cæterarumque

Vir-

Virtutum Regnum, adeoque fauſtiſſimum ſeculum, Te aſſidente Sacri Regiminis clauo, gratulati ſumus Chriſtianæ Reipublicæ: quidquam à nobis gratiæ datum fuiſſe ſuſpicari nullus poterit, qui animaduertat: ſua potius exprobrari dedecora Principibus Viris, ſi quæ in ipſis deſiderantur dotes, ijſdem non ſine inepta enumeratione attribuantur. Singularia ergo Animi Tui ornamenta, & egregias imperandi artes, quibus erigis Chriſtianum Orbem, optima hiſtoriæ fide narraui, gauiſus, quod qui Poetas imitari nequiui pulcherrimarum inuentione rerum, eoſdem ſuperauerim, præcipiens animo ea, quæ ventura trahebantur, dum ſub initia fauſtiſſimi Regiminis Tui confidentiſſimè ſpopondi ea, quæ deinde ſumus experti; Religionis enim metum inieci Sanctiſs.

Cle-

Clementi, qui recuſans Regale Sacerdotium, veniſſet in crimen erepti Reipublicæ Præſidis eximij Palutij Cardinalis Alterij: inuidiſſet Imperio Virum Generis, Ingenij, Doctrinæ, Religionis, Honorum Dignitate ſingularem, ac Romanæ Purpuræ ſplendore iamdiù florentem: cuius capaciſſimus animus, conſilia ſapientiſſimi oris, eximium ſtudium Veritatis, ſumma in conficiendis negotijs Celeritas, perpetuæ ſollicitudines publicæ rei bono addictæ, elaboraturæ Populis eſſent fœlicitatem. Stetit augurio fides; ſi tamen augurati fuiſſe dicendi ſumus ea, quæ iam tunc Quirites intuebantur; neque enim, vt in alijs Rempublicam aggreſſis, quònam euaſurus eſſes, ſpe præcipiendum fuit, cum Te viderimus ſtatim aſſequutum Apicem Imperatoriæ Virtutis. Excolendus non

eras

eras à Sacro Regimine, qui Purpura iamdiu exornatus, & laudibus excultus omnibus Regnũ accipiebas: & prima ipſa die imminentem curis illuſtribus operam Magno Clementi præſtabas; perinde ac ſi ad rem adminiſtrandam publicam ante plurimos annos Te contuliſſes. Tunc animaduertimus, quanti interſit, Conſilij partum eſſe: veluti Deus ipſe Mente Sapientiã parit, à qua Regna omnia temperantur. Et à Diuino quidem Regimine exempla imperandi petis, qui omnia ſine vllo ſtrepitu moderaris, perpetuo Sole fœcundans, opportunis imbribus lactans virtutem, crimen raro fulmine vltus: ita Iuſtitiæ tenaciſſimum ſtudium, ac vigorem Principe dignum temperans humaniſſimo ingenio, vt Tuum admirari Regimen cogantur omnes, ac ipſi ſontes adorent dex-

dexteram ferientis. Qua verò moderatione vos ipſos, Principes Optimi, temperatis; neque enim Te ſolummodò iam alloquor, Eminentiſſime Cardinalis; ſed & Excellentiſſimum Principem Gaſparem Fratris Tui Filium, Generalem Eccleſiæ Ducem, & Sancti Angeli Arcis Præfectum: & Angelum Fratrem Tuum Pontificiarum Triremium Præfectum: vtrumque illuſtrem incredibili in *Principatu* Modeſtia, Aequanimitate in vtraque fortuna, Religione in Deum, in Populos Charitate: Illum præterea inclytum excelſo Coniugio Lauræ Alteriæ Sanctiſs. D. N. Proneptis, omnibus prærogatiuis ornatiſſimæ Principis: ad quod decus inſtaurandæ Nobiliſſimæ Gentis Alteriæ illum ex vniuerſa Romana Nobilitate ſelegit Sapientiſsimus Præſul Aemylius ob eximias Adole-

leſcentis dotes,& vetuſtiſsimā claritatē Generis Palutij Albertonij, Purpuris, Exercituum ſceptris, & ipſis Sāctorū Infulis præclariſsimi:cui nuper maior ex Vrſino ſplēdore fulgor acceſsit. Hæc Tua, & Tuorum ornamenta, Eminentiſsime Princeps, cum vniuerſi ſuſpiciant, Societas Ieſu peculiari quodam ſtudio veneratur, quia Tibi, Sanctiſsimoque Pontifici innumeris nominibus deuinctiſsima: ac pręcipuè ob amplificatū cultum Cæleſtium ex Ordine ſuo Virorū: inter quos Quadraginta Fidei Teſtes, ante centum omninò annos viſi ab eximiæ Sanctitatis Virgine Tereſia ſubire Regnum Beatitatis, eundem ex vobis honorem præſtolantur: repoſituri Maximo Clementi ætatem, quam pleriſque ex ipſis Adoleſcentibus ademit Hæreticorum furor. Communia hæc Sacræ Fami-

Familiæ vincula, quibus mirificè obſtrictum me profiteor, accedunt priuatis, quæ meum arctiſsimè mancipant animum Beneficentiæ Tuæ. Vale, Princeps Eminentiſſime, & Chriſtianæ rei bono diutiſsimè impera

LYRICA
Scripta menſe Nouembri Anno 1670.

PALVTII CARD. ALTERII
Curæ Sacro Principe dignæ.

SVbeſſe Regi Sidereo, Imperj
  Laus prima Sacri eſt. Parietis
    aurea,
  Depicta ſeruorum venuſtas,
  Currus Apollineam laceſſens
Auro Quadrigam, Gemmea quadrupes
  Lupata mandens, alipedum canum
  Vis, quodque regali tributum
  Cuncta ferunt Elementa cænæ:
Sunt probra Sacri Principis. Ætheris
  Eſt Cardo quiſquis moribus aureis
  Effulget: ac defert ad Aras
  Damna ſacris populanda flammis
Siluæ Sabææ creber: & Hoſtiam
  Cælo Sacerdos ſe pius immolat:
  Suoque placatum ſequeſter
  Conciliat populo Tonantem.

Tunc & recepti Numinis ebrius
Amore, Paſtor lac Sapientiæ,
Gregique porrectum liquabit
Innocuæ Pietatis vber.
Hac arte, Princeps, Purpurei inclytum
Decus Senatus, eriperis ſolo:
Cæleſtis & fulgore lucis
Attonitos hilaras Quirites.

FAVSTVM VIRTVTI SECVLVM

SVB

PALVTIO

CARD. ALTERIO.

AVrea quæ iactant lymphati ſecula Vates,
Mentitur Thymbræus Apollo.
Flumina nec riguis fluxerunt aurea gemmis:
Puniceo nec vellere diues
In campis Aries fulſit, nec Terminus agris
Abſuit. Aut ſi fauſtior ætas
Blandita eſt Orbi quondàm, populoque Latino,
Ceſſit deterioribus annis,
Ex quo Tybris aquas mollis violauit Orontes.
Virtuti nunc Aurea reddis
Secula, Romano tergis qui nubila Cælo,
Quo, rident nunc, Principe, Soles,
Auſpice quo Populis noua fulſit vena ſalutis:
Qui facili clementior Aſtro
Commune exuperas votum, lætuſque videri
Plurimum habes commune Tonanti;
Nāq; Vrbi prodeſſe, putas decora inclyta Sacr
Imperij. Sapientia gemmis
Nectit Erythræis regale ſonantia verba.
Quæ vigilem longo agmine curæ
Circumſtant, adimunt ſera tibi nocte ſoporem
Quis Phidias digniſſima cælo
Ora ſacrà fingit dextrà? Subſcribimus: Vrbi
Hic Pater eſt, Cuſtoſque Quiritum.

PALVTIVS CARDINALIS ALTERIVS

Purpuratorum Principum Idea.

FOrmas, Cælicolum Chorus
  Arcano taciti Numinis in ſinu
Quas miratur, ab Æthere
  Lapſas rarò hominum concilium videt:
Te formam ſtupet at ſuam
  Quiſquis Purpureo Murice fulgurat.
Hanc mentis niueus rubor
  Exornat melius, quàm Tyrius liquor.
Vultus Purpura nobilis
  Accendit Trabeę Sidonium iubar.
Viuis ſacra decentius
  Virtus imbuit hoc ſyrma coloribus,
Cui nil ſuppeditat ſolum.
  Non mittit Tyros, aut Africa muricem;
Ad Phryxi aurea vellera.
  At flos hic rutilat Puniceæ Iridis,
Phœnici inficit aureas
  Qui pennas, micat hìc ſanguineus color:
Hìc & candida ſiderum
  Lux ridet: placidi fulgor Apollinis
Huc fluxit: Meritis ſacram
  Iniecit Clamydem Diua humeris Themis.

SVB

SVB PALVTIO CARDINALI ALTERIO

Iuſtitiæ, ac Pacis, cæterarumque Virtutum Imperium.

GReſſu Romuleos quis quatit alite
Colles, atque canit ſidereum melos
Cælo lapſus ab alto
Formoſus Charitum Chorus?
Aſtræam video: lumine territat,
Sed terror decet. Hinc torquet ad oſcula
Pax frontem, diadema
Cui Thaumantias explicat.
Hinc irrupta Fides, almaque Veritas
Alterno choream greſſu iterant, manus
Conſertæ, ac Tua, Princeps,
Tollunt nomina ad Æthera.
Te regnante etenim Regna iterum petunt
Expulſæ Charites. Vincere geſtiat
Qui cauſa potiore,
Non qui præſidio imminet.
Solem quadriiugo pronius aureo,
Quàm Te Iuſtitiæ abſtraxerit orbitâ,

Quæ votis oneratur ;
Te Rege , Ambitio irritis .
Sontes attenuas , & pretio fidem
Oblato faciles frangere vitream :
Laruas cogis & atras
Fucum prodere pectoris .
Cretata extulerit ſe ſapientia ?
Synceramque lucris turpibus immolet ?
Aulæ monſtra bilinguis
Nil , Te vindice , proderunt .

PALVTIVS
CARDINALIS
ALTERIVS.
Maximis Imperij Curis Maior.

PEllæi Iuuenis fluctuat alueo
Pectus ſollicito, perque genas cadunt
Vbertim lachrymæ non humiles, ſuo
Quòd non imperio premit,
Quotquot Democriti ſomnia, Cynthiæ
Trans Cælum, populos, regnaque finxerant.
At vix edomuit, quos face Lucifer
Eous roſea beat.
Quos Arctos niuibus tardior obruit:
Queis incumbit Atlas rupibus igneis:
Queis Veſper rutilat, dum viduum diè
Nox Cælum biiugo ſubit,
Haud Martis rapido turbine ſubruit.
Orbis conſilijs ſed minor eſt Tuis,
Princeps, qui celeri mente per omnia
Curas littora diuidis.
Clemente Auſpicium, Præſidium, & ſuos
Diuos conſociante, Imperio immines,
Atque ipſo eueheris pondere: nec valent
Te laſſare negotia,
Qui curis aleris, cum penetralia
Cordis pax hilaret: dum Maleæ in vada
Vrget puppim Aquilo, deſpicis æquora
Claui alto moderamine.

PALVTII CARDINALIS ALTERII

Voluptatum Odium, & Reipublicæ ſtudium.

VRbis Aeternæ Columen, Latini
Imperj clarum decus, innocentis
Purpuræ Sidus, Tua frangis acri
Pectora nutu.

Quod licet, tantùm libuit, nec omne
Quod licet, ſemper libet imperanti.
Mitigas curarum & amara parco
Tempora riſu.

Haud Erythrææ decorant ſmaragdis
Infulæ ſacrum caput otioſis.
Dona præſentis capere vſque temnis
Sedulus horę.

Haud Tibi indulgens, alijs ſoporem
Elocas: curas operoſiores
Conſecrans, ne quà populus laboret,
Peruigil ardes.

Vrbis hinc audis Pater, atque Cuſtos,
Publicę fingens bona fauſtitatis,
Regna cui ſordent, niſi Rex ſubacto
Seruiat Orbi.

PALVTIVS CARDINALIS ALTERIVS

Cupiditatum ab adoleſcentia Victor.

QVis ęſtuanti vincla licentiæ
Æthonis addat? Quanta Hyperionis
Inſanientes vis iugales
Corripiat, Phaeton triſulco
Telo peremptus dicat, & aridi
Exhauſta flammis Eridani vada,
Funuſque Mundi. Sed ruentes
Solis equos citius negatis
Siſtas habenis, quàm iuuenem, genus
Illuſtre, & ardor ſanguinis, aſperę
Cui legis expertem per omne
Suadet iter glomerare curſum.
At Te, Quiritum Spes & Amor, iuuat
Acri iuuentæ nectere vincula.
Tibi ipſe præſcribis Lycurgus,
Et Cato, Pompiliuſque leges.
Vidit Lyceum, quod Draco peruigil
Cuſtos tuetur, Palladis artibus,
Et fortis imbutum Pudoris,
ad Tyrios properare cultus.
Nunc Magnus Hoſpes, cum Charitum choro,
Regnum Mineruæ dum repetis, ſuus
Apollo Parnaſum reuiſit,
Caſtaliaſque hilarat ſorores.

PALVTII CARDINALIS ALTERII

Candidi, & integerrimi mores.

IN ore regnant, quæ Tibi Charites Sacrum
Finxere pectus: flumina
Labris feruntur mellea, ac ſeſe lepor
Et tota promit Comitas,
Moreſque madidi nectare, & frontis nitor,
Riſuſque blandus luminum,
Latentis animo ſigna fulgoris vibrat,
Et lactis inſtar candidæ
Mentis. Retenta fronte priuata, inclyto
Conſpectus Oſtro, tempora
Coruſcus auro, publicę ſeruis rei.
Sic ore Clemens aureo,
Nutuque blando vocis Auguſtę micat.
Regnare compulſum probat
Innube Cælum frontis, & ridentium
Fulgor benignus Siderum.
Vt corda miti faſcino hic nictus rapit!
Vt ſponte demiſſus Sacrę
Apex Thiaræ, vertice excelſo altius
Attingit Arces igneas!

GASPAR
PRINCEPS ALTERIVS
Lauræ Alteriæ Coniugio decoratus.

COniugio, Gaſpar, Laurę dignate ſuperbo;
Quam ſpes Quiritum Sponſam anhelabant: velut,
Quos mundo debet, cum Sol in Virgine fixit
Oculos, virere Laureum vidit nemus.
Non vnus Lauræ fuit huic, aut alter Apollo,
Caſto jugalis ambitu accenſus facis.
Nec veniunt, quamuis regali, à dote ſagittæ:
Nec forma, quamuis vincat Idæas, rapit;
Sed morum nitor, & ſexu Prudentia maior,
Magnuſque Patruus Gentis Alterię Decus.
Exoptatus Hymen Tibi defert Aurea Poma,
Indole, & Auorū ſtemmate, & meritis pari.
Æmula cui Patrū Virtus, quā mordet honeſto
Pręclara ſenſu Gloria, ingenuus Pudor,
Diuorum cultus, præcox animique ſenectus,
Dant, innocentis eſſe conſortem Thori.
Sed Tua quo virtus alios ſub Iudice vincit?
Tibi Pallas ipſa, non dedit Palmam Paris.
Lectus ab Æmylio, Superùm cenſeris ab aula
Pręlatus alijs. Ille nocturnus ſolet
Concilio Diuùm miſceri, oracula rebus
Numine ſuis ſecura conſulto ferens.
Non ſic Ægerià doctus Numa, vel Ioue Minos,
Maiæ Carondas prole, vel Phœbo Solon,
Conſilijs aut, Veſta, tuis Zamolſcis inanem
Mercatus auram, ſplendidè mendax, fuit

GASPAR PRINCEPS ALTERIVS

Præclariſſimorum Parentum Decus amplificat.

HEroum Soboles, quos Tyrium iubar
Oſtri Romulei, ſceptraque Martia,
Auro Sidereo ſparſaque laurea
Diuûm concilio inſerit,
Quamuis prouenias Arbore ab inclyta,
Ac Te Fauſtus Hymen inſerat alteri,
Aurato nituit ſecula quę decem
Phryxi vellere nobilis,
Non cenſes Tua, quæ ſuppeditant Aui,
Sed quæ ipſe amplificas, ſtemmata Gloriæ,
Quæ magnis valeant ferre Nepotibus
Ex Te Patre ſuperbiam.
Virtus fulgida Auorum antetulit facem,
Qua nunc & Pietas, & Pudor, & Modus,
Mentis clara dies & niteat Tuæ,
Romanæ & ſtudium rei.
Fruſtra degeneres Nati Abauos ſtrepunt,
Quorum geſta probris dedecorant ſuis,
Quorum vmbrę ingenuę crímina Filijs
Semper ſontibus exprobrant.
Fundamenta locant magnanimi Patres:
Ni faſtigia tū admoueris Ætheri,
Debebis populo ludibrium, vt Gygas
Fractis Turribus obrutus,

ANGELI
PRINCIPIS ALTERII

Compoſiti in Principatu Animi moderatio.

ABditos mentis niueæ rubores,
Et verecundam fer ad aſtra lucem
Principis: Pindo huc agilis relicto
Labere, Clio.

Ille non fato tumidus ſecundo
Vela protendit: nihil inquieto
Credulus Ponto, nihil & fauenti
Credulus auræ.

Nouit, hoc tantùm ſtabili teneri
Lege, vt exortum nihil vſque conſtet.
Ore ſortem compoſito ſerenus
Spectat vtramque.

Diſcit exemplo tenuare magno
Corda. Clementis generoſa ſolis
Sidera innubes imitata vultus
Lumine blando

Emicant. Longùm Pudor hic triumphet:
Semper & Cælo niteant Latino,
Quæ Iouis fauſtam, facilemque fundunt
Sidera lucem.

Sed minax Martis, truculenta diri
Stella Saturni procul eſt, ſacriſque;
Axe quæ regnent diuturna noſtro,
Diſtat ab aſtris:

AN-

ANGELI
PRINCIPIS ALTERII

Aequus Animus in vtraque fortuna.

QVi nec ſecundis tollitur, arduis
Nec rebus vnquam concidit, aſperi
Exarmat iram, & blandientis
Munera, nequitiamque fati.
Prudens ſibi eſt Numen: & imperat
Sorti bifronti. Tu niſi finxeris,
Fortuna, qua nectat catena
Pectora, non habet. Inſolenti
Obieceris ſi frontem adamantinam,
Sors victa cedet: Gaudia lachrymis
Aut vana miſcebit, doloſis
Vt reparet noua bella donis.
Syren Charybdi noxior, aurei
Frons blanda Fati. Ad Sidera prouehit
Præclara quamplures ruina,
Quos ad humum pepulit volatus.
Vtrique, Princeps, Agmina cui ſacrum
Dedere nomen Siderea, immines:
Aduerſa Conſtantem, ſecunda
Fors animum probat Innocentem:
Præcelſa Cælum mens hominum refert.
Serenus aer rideat, obſitus
Aut nube ploret, conſtat idem
Sideribus decor, atque Phœbo.

IOAN-

IOANNES BAPTISTA CARDINALIS ALTERIVS CLEMENTI DECIMO Sanguinis, & Virtutum cognatione Germanus.

TYbris Eurotam tumidus laceſſit.
Alma Germános habet Vrbs Lacænos,
Ætheris riſum, geminum Latini
Sidus Olympi.

Lumine vt fulgent ſimili! Vt ſerenos
Fronte Cæleſti iaculantur ignes!
Lege vt elidunt ſtabili frementes
Æquoris iras!

Si fori raucum pelagus tumultu
Fluctuat, ventis agitata ſidunt
Marmora, vt nautis benè culta, Cælo
Sidera fulgent;

Sæuus Arcturi licet occidentis
Impetus regnet. Timidus procellas
Nunc quis horreſcat? Nitet Axe Pollux,
Caſtore rapto.

Vrbis ò Tutela, & in omne Fratres
Nobiles æuum! Ratis imminere
Dignus æternis & vterque fauſto
Sidere velis.

Viuet extento diuturnus æuo
Alter, ac terras niueo beabit
Lumine: erepti geminata Fratris
Secula viuet.

IOAN-

IOANNIS BAPTISTAE CARDINALIS ALTERII.

SS. D. N. Fratris

Sacri in Vaticano Templo Oratoris Facundia.

VNdam Quiritum dum Tyberis videt
Ad Vaticanum confluere, aureus
Ex ore Pactolus diſerto
Namque fluit, Tuaque ambit ardens
Potare, Princeps, flumina nectaris
Quicunque Sacram nobilis eloquj
Miratur artem: Perge fauſtis,
Tybris ait, pretioſa vinclis
Corda implicare: vt Gallicus Hercules
Fertur, catenis ore fluentibus
Vinxiſſe turmas obſequentes,
Thracis ad inuidiam canori.
Quod Suada verbis Imperium Tuis
Dat in volentes Romulidas, Tuo
Aſtræa, nequídquam gementi,
Imperium dabit alma Fratri.
Tunc noſtra creſcet fama, & ad Inſulas
MAGNO ferar DE FLVMINE Principẽ
Miſiſſe: tunc rebellem Orontem, ac
Nile, tuas, & Hydaſpis vndas
Sub iura mittam: Tunc & Amazonum
Qui bella fluctus Thermodoontij
Videre, & Eufrates minores
Voluet aquas, Tanaiſque diſcors.

IOAN-

IOANNIS BAPTISTAE CARDINALIS ALTERII

Eximia Sacræ Theologiæ ſcientia.

SIderum ex horto, Vranie, coronam
Texe. Cæleſti dare ſerta fronti
Te decet. Qui nunc fruitur beato
Nectare Princeps;
Ille dum terris agitaret æuum,
Dædali pennis animi volucres
Increpans ventos, ſuperanſque nubes
Aurea Magni
Numinis Templa impauidus ſubiuit.
Quæque Phœbeis latitant ſub vmbris;
Lucis immenſæ Oceano ſepulta
Arcana Tonantis,
Vidit hæc hærens oculo irretorto.
Iuuit & cunctas animum per artes
Spargere: exhauſit Latium, tuoſque,
Græcia, fontes.
Iuuit & lites ſerere eruditas
Arma tractantem Sophiæ. Quis acri
Fortior verba ingenio, Stagyræ
Flectere gyro?
Gregori, hoc Regnum Latiæ Mineruæ
Audijt nodi ſeries plicantem
Gordij, quas vix Macedo diſerto
Soluerit enſe.

IOAN-

IOANNES BAPTISTA CARDINALIS ALTERIVS

Summo, cui par erat, Imperio à morte præreptus.

VIs dira fatorum, Eumenidum ſoror,
Quæ te ſuperborũ improba funerũ
Fames adegit, falce dignum
Neſtoris vt meteres ſenecta?
Vides, vt ambit ſollicita prece
Illum Supremi culmen ad Imperj
Efferre Virtus? Inter omnes
Emicat, inuidiaque maior
Dignus beatis dicitur Infulis.
Auditis, vt ſe non humilis rea
Tuetur? Auulſo ſuperſtes
Sidus, ait, dominetur Auro,
Aut regna cedat Sidus Apollini.
Quo more Daphnin Cynthius, Æmyli,
Vt imperes Prorex Tonantis
Te ſequitur, fugitiue, regnum.
Horreſcis altum tollere verticem,
Dum regna flagras aurea Siderum:

Fru-

Fruſtra reluctanti dederunt
Purpurei Tibi ſceptra Patres.
Quem temnis, Orbē flectere quis labor?
Sic Archimedes Tethyos imminens,
Terræque moli, regna terræ,
Ac tumidas agitaſſet vndas.



HIERONYMI ALTERII

EQVITIS HIEROSOLYMITANI SANCTISS. D. N. FRATRIS

Bellica Fortitudo.

FRondis Apollineæ ſacrum nemus effer in auras,
Calliope, prope littora Ponti,
Vrgentis Batauos humiles pendentibus vndis.
Illa etenim fuit area Martis
Heroi, quem, dum Fratres decora alta Togatæ
Palladis inuitant, rapit ardens
Armatæ ingenium. Viden, vt vomit aureus ignes
Vmbo! Thorax flagrat, & Enſis:
Caſſide recluſa ſcintillant lumina frontis:
Vt Cælo nimboſus Orion
Ferali rutilat ſub noctem fulgure, nubes
Cum ſcindit, Boreamque, Tyrannum
Aequoris, Aegæas cogit violentus in vndas:

Tunc Pelago nant Cyclades alto.
At qualis ruit in Batauos? Irata Tonantis
Intorſit quod dextera fulmen,
Ceu ruit in Phariam lethali turbine puppim,
Et latera, & proram populatur:
Illita tranſtra pice, & nigræ dant pabula ceræ:
Fractus ſtridet malus in vndis.
Iam ſuper antennas cæleſtis flammā triumphat,
Quam ſcopulo piſcator acuto
Proſpiciens, Siculæ ſpeciem mirabitur Ætnæ
E ponto minitarier aſtris.

HIERONYMVS ALTERIVS
EQVES HIEROSOLYMITANVS SANCTISS. D. N. FRATER

Strenuitatem Gentis Alteriæ repræſentans.

QValis ferocem diſſimulans virum
Proles Marinæ bella fremit Deæ
Vt audit Europam duello,
Atque Aſiam trepidare magno:
Faſtos ſuorum ſic memores Patrum
Dum vidit Heros, belligera indoles
Queis nominis vitam perennis
Multiplici peperit triumpho,
Exardet. Illum non patrius poteſt
Frænare Tybris, ſplendida nō domus
Non Purpuræ, & Fratrum Thiaræ,
Quodque Triplex Diadema fronti
Spes, & Quiritum vota parant ſacræ.
Fulgore Romæ pulchrior aſpici
Mauortis olli eſt puluis ater,
Et Bataui furor æſtuantis.
Exempla fortes cuncta acuunt viros,
Auita cogunt. Sic Macedo Patris
Tro-

Trophea dum cernit Philippi
Magnanimo maduiſſe fertur
Perfuſus imbri non humiles genas.
Noſtræ ſuperſit quæ area gloriæ,
Si cuncta terrarum paterno
Subdis, ait, gladio, Gradiue?

MARTIVS DELPHINVS
ALTERIVS
Eques ab Alcantara
SANCTISS. D. N. FRATER
Poloniæ Regi percharus.

CHriſtiadum, Generoſa Polonia, vallus, ac Tyranni
Obex, pauorque, & fulmen Ottomanni,
Martia Delphini tu pectora, cãdidoſque mores
Vinclis coerces aureis, & Aulæ
Præclara inuitas ad munera. Fratris ille Magni,
Suiſque clarus laudibus, Tonanti
Lechorum, in Thraces qui fulmina torquet, atque Moſchos,
Cor ſurripit regale. Nunc Poloni
Quàm fauſto celebrant certamine Triplicem coronam
Clementis! Illum Viſtula ex Olympo
In ſua delapſum nam commoda credidit, ſequeſter
Quando, & quietis Arbiter, procellas
Ca-

Caſtrorum, atquè Fori compeſcuit, adfuitque Regi,
Reique Cuſtos publicæ. Paternis
Nunc fouet auſpicijs, & amoribus intonata Thracum
Minis furentum Regna, Cælitumque
Recludens armamentaria, Præſidi Gelonorum
Adolet Stanislao nemus Sabæum;
Rurſus vt ex aſtris in barbara caſtra criſpiſulcans
Telum coruſcet: vt ſuperba quondam
Oſmani cum diruit agmina, Biſtonumque pauit
Cruore campos. Cernis vt profundo
Dira metu glaciantur pectora; concrepant per altas
Nam clara nubes claſſica. En petuntur
Fruſtra indignantis conclauia Boſphori. Fugato
Mox Thrace, Moſchis incubant, Gradiuus
Ciuili quos vexat turbine. Fræna rurſus ambit
Mordere Lechi Principis Smolenſchũ.

MARTIVS DELPHINVS
ALTERIVS
Eques ab Alcantara
SANCTISS. D. N. FRATER

Omnes Europæ Regum Aulas ſplendidus hoſpes inuiſit.

EVropa, Regum magna parens, rapis
Quàm præpotenti pectora faſcino!
Non Siderum ſic arſit arces
Icarus, & Phaeton ſuperbo
Tentare curſu, magnanima vt ſolet
Flagrare Pubes, viſere Sequanæ
Fluctus minaces, Martiales
Scaldis aquas, Tameſim ferocem,
Rhenum profundum, atque auriferis Tagum
Illuſtrem arenis, Palladia inclytum
Bætin corona: quique plauſtris
Viſtula concutitur Gelonis.
Altas tuorum ſanguine laureas
Per cuncta, Marti, ſurgere littora
Spectas, & immortale paſſim
Indolis egregiæ Trophæum.
Externa fulgorem allinit Hoſpiti

Vir-

Virtus: In vnum migrat in omnibus
Spectata regnis. Sic Vlyſſem
Exilium excoluit ſagacem.

Mercator altæ laudis ad vltimos,
Delphine, curſum ſic celeras Getas:
Metiris & callem Triumphis:
Vrget equos velut Axe Phœbus.

Tibi Theatrum nobile Regiæ
Aulæ recludunt, nec minus explicas
Virtute, regalique cultu,
Regibus, & Populo Theatrum.



IN IMMATVRVM

FRANCISCI ET RVTILII ALTERIORVM

SANCTISSIMI D. N. FRATRVM

Funus.

ERgo Cupreſſus funebres, pulſa implicant
Daphnide fronde, comas? Phæbea neruis diſſilit
Chelys repulſis. Vere ſic primo occidit
Nobile par iuuenum? Franciſcus, & Fratri æmulus
Rutilius, & vtrique Pallas obfuit.
Cultus Apollo ſuis perniciem alumnis attulit:
Vt Clytiam adurit Phœbus, æterno ſuum
Quamlibet illa iubar quærat rotatu frondium.
Et Marte clarus alter, & Cæſar fuit
Laude in vtraque, Toga, Sagoque clarus inclyto:
Quem docta fleuit Felſina, inferias Duci
Ac tulit emerito: fronde & ſepulchrũ Delphica
Sparſit. Valete nobiles vmbræ: Sacri

Fra-

Fratris ad imperiũ quis prohibet annos ducere ?
Viuendo ſecla vincere æternum eſt decus
Sanguinis Alterij. Malignè at in vos irruit
Maturior vis. Sacra quam benè Regia
Flectere lora manus nouiſſet Imperij, & ſuum
Secuta Germanum indoles, fœlicia
Diuideret populis fata. Heu maligno perſtrepat
Chelys vlulatu: lachrymis Helicon fluat:
Perpetua & Sylüa, Cypariſſe, Parnaſum intege.

CAELESTIS PROTEVS

Siue in multiplicem vultum diei, quo coronatus eſt

SANCTISSIMVS PONTIFEX

CLEMENS X.

Epigrammata Centum.

CARMINVM PROLVSIO

DICTA AB ALEXANDRO CASALIO.

Sexto Kalend. Iunij anno 1670. In Aula Maxima Collegij Rom.

C*Aeleſtem Proteum*, Eminentiſſime Princeps, *fuiſſe dixeris diem, qua Maximus Clemens coronatus eſt; ſi enim formas ſe vertit in omnes, vt fabulantur Poetæ, cæruleus ille maris Vates,*

tes,

res, optatiſſima pariter hæc dies multiplici ore videndam ſe Quiritibus præbuit. Aurora Nubibus obducta fuit. Raris itidem Nubibus obſitus aer, dum Purpurati Principes peterent Vaticanum. Mox, dum Solenne fieret Sacrum à Sanctiſſimo Pontifice, ſine vllo tonitrui ſtrepitu, aut Venti murmure, tenuis Imber identidem decidit: identidem modeſtus è Nubibus prodiuit Sol, qui deinde exultantior protulit frontem, cum exornatus Triplici diademate fuit Optimus Princeps. Prodire viſus è Sypario eſt Siderum Cæſar, vt ipſe pariter vna cum infinita mortalium vi ante Coronatum Diuinitatis Vicarium procumbente cultum exhiberet illi, qui diſperget cum Sole beneficas humano generi manus. Obſequio deinde ſuo perfunctus, ſub Nubes iterum receſſit. Hinc anſa nobis oblata, illas tantùm ex innumeris Optimi

Principis dotibus carmine repræſentandi, quæ ex multiplici triumphalis Diei ore innuuntur. Quid, inquies, Imbri, & Nubibus cum Imperij Fuga, cum perpetuo ſacrarum Precum ſtudio, & cæteris Egregij Principis prærogatiuis? Aliquo hæc pacto fortaſſe conuenient, & Philoſophica plerunque ratiocinatione vnum ex alio inferetur: Arcanis fæcunda ſunt quæcunque Deum circumſtant, ac Deo ſimillimos Principes. Præfari tamen interea cogimur, defloratam eſſe in præſentia, qua vnicè tueri ſe poterant noſtri luſus, gratiam celeritatis. At cum illi, triduo poſtquam Cæleſtis Proteus Romam exhilarauit, delati ſint ad pedes Magni Clementis, cuius rei teſtem omnium Sanctiſſimum habeo, vt in ſimili argumento Statij verbis vtar, à nobis culpam non abſuturam credidiſſemus, ſi ſplendor elegantiæ vllus illi fuiſſet

appi-

appictus, dum ſubÿciendi nunc erant oculis, vtcumque eruditiſſimis, cæterorum, quo exornati non ſunt, cum primò ſubiecti fuerunt oculis Pontificis Sapientiſſimi.

Cæterùm quemadmodum ineptos Arbitros ingeniorum teruncÿ facimus, ita præſtantium Poetarum cenſuram veneramur:

Hi preſſos incude maligna
Diffingant verſus: horũ ſub pollice vultũ
Ducat Apelleum rudis, informiſque Camæna; (adoro.
Horum aliquis feriat: dextram ferientis
Muſarũ à ſacris aluearibus arceo fucos,
Ignauum pecus, & ſtomacho tunc ſurgit orexis, (Apollo
Aggreditur quando Muſas is forfice,
Quo minui Admeti nollet tonſore capellas: (affer,
Aude aliquid cedro dignum: decoctiùs
Illepidum, & craſſum dein carmen, Critice,

tice, carpe.
Non tu Mercurij, quod ſingo, probas ſimulacrum?
En ſiluam: molire aliud: talaria, vultus
Exprime furaces, lignoque imitare crumenam.
Voti, inquis, modicus fungar vice cotis, acutum (ſecandi.
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa
Eſt, qui de tabulis Zeuſis Ioue iudicat æquo, (Iacchum.
Nec phiala ſuper appoſitè depinget
Te certè peregrè rapuit non pictus Iacchus.
Pictorem haud illum ars ſua, te eſſe iubet tua Vatem. (adegit
Hinc te quando tuum conari carmina
Munus, & infęlix ſubeũda tibi alea, palle
Ceu Lugdunenſis Rhetor: dein tetrica quinque
Ora feris claudas, exoſa pericula vitans.
Quod placeat carmen, plus temporis, atque olei plus
Quærit, ais? Fabium cunctando at vincis, & Vrſæ (anno,
Partum infœlicem quarto eluctaberis
Nec vinces, vna quẽ nocte effuderit alter

Tuque audes, canis, excuſſo ſuſpendere naſo (tulit vrnæ?
Quoſcunque haud triſti Vates mors inVitat agitat? Nigrum Vati celer alline ſignum. (Atrum
Quid ſi nequaquam iuuenetur verſibus?
Allinis? Elimat doctà mors carmina falce?
Ante obitum Patris eſſe nequit formoſa propago?
Si Pater intereat, Therſites Nirea vincet?
Phœbe Pater, cunctare, lyram in ceruice proterua (ambitioſa
Frangere? Quandoquidem benè viuitur
Paupertate: Alios prudens ſpoliato Poetas, (pennis
Vt volucres Cornix. Alienis, Critice,
Haud vnquam tolleris humo; vſque adeo tua cæno
Infixit te ſegnities. Atque exedat omnes
Omnia, qui tela inuitat? Qui carmina palmo
Metitur, Phœbi poſſit Collega videri,
Tantùm audet verbis? Caſtiget barbara dicta (dua calcet,
Verna Mycipſarum? Vatum capita arVilis adulator vulgi; nam vulgus adorat

 Con-

Contemptor Regum, vulgo quos æquat inerti. (magnus haberi
Quid caput intorques cerebroſum, &
Poſſe putas, alios rides quòd naribus vncis?
Morde aliena probris: quater expue: Concio núm te (vno?
Luſurum meliora putet ſtantem pede in
Liuida quin animi putat argumenta pusilli, (laurus,
Et qui deſperet, quas audet carpere,
Vtque blitum, in proprio ſucco à liuore coquatur.
Me tua commendat ſatyra. Haud tibi Muſa probatur? (perurant,
Ergo probanda. Suo niſi te fulgore
Illaudata alijs permittes carmina inepta (ergo laceſſunt.
Sponte mori. Laceras? Populi famam
Mordeor? Exulto. Eſt, Perſi, qui velle recuſet (fibra eſt.
Os Cynici meruiſſe, adeo mihi cornea

Hæc per ludum dicta ſint in hos Palladiæ aulæ tortores, qui artem omnem Rhetoricam in Hypercritica ſitam eſſe arbitrantur; quamuis in hoc

ipſo

ipſo artificio ferendi cenſuram de alienis operibus egregiè peregrinentur . Hinc, *quodcunque in lucem prodeat Carmen, verbis, vt aiunt* , Herculis *illud inuadunt* , *& ex iactis in alios maledictis laudẽ quærunt, quam ex editis in lucem monumentis ingenij ſui aſſequi ſe poſſe deſperant* . Hc*rum obiurgationis ambitu honeſtiſſimo incendimur : illa enim eſſet argumentum præſtantiæ alicuius in ſcribendo noſtræ* . Et *fortaſſe vnum, aut alterum ex his Seſquicatonibus ſperare poſſumus* , *qui ſuis nos conuitijs exornet ; cæteroqui enim humaniſſimos fore* Le*ctores ominari poſſumus* , *cum argumenti ſpendor, & gloria publicum nobis fauorem* , *& quamplurimos huius* Editio*nis ſuaſores conciliauerit* . Hos , *quibus obſequor* , *illuſtres* Poe*tas profectò nõ latet, in Scriptore* Epi*grammatum non quærendam illam* , *quam Sfortia Cardinalis*

Pal-

Pallauicinus eſſe dixit notam cætero-rum præſtantium Authorum, vt vi-delicet ſi fortuitò ſemel, iterumque, ac tertiò liber à Lectore aperiatur, ſemper incidat oculus in egregium aliquid, & ſingulari laude dignum; qui enim ex breuis huiuſce carminis Scriptoribus aſſequuti hoc fuerint, oppidò paucos inuenies. Id verò ma-gis arduum erit, ſi idem ſit argumen-tum carminum omnium, ſique eadem exornatiua ſint; facilius enim aſſur-gunt Vates, ſi aliena crimina morſu appetant erudito: ac demum ſi ſponte pedicas Author inſerat ſibi, ſi vide-licet non ex quouis fonte, ſed ex Plu-uio tempore, vel Sereno inferat San-ctiſſimi Pontificis *prærogatiuas. Sed enim leuis, inquies, ingenij fuit, has ipſas ſibi compedes inijcere. Itane ve-rò, à quo exempla duximus,* Princi-*pem* Poetarum *nobiſcum carpis? Ille enim ſui Cæſaris laudes eruit à ſe-*

reno

reno die, qui poſt noctem perpetuo imbre funeſtatam exhibita à Cæſare Auguſto ſpectacula exhilarauit.

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane.
Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habet.

Sed profectò has tibi ipſe compedes non inÿcies, qui ne ſine ÿs quidem volare potes Dædaleis alis ingenÿ. Demum vt ex vero profitear, quod per ludum, aut per inſignem modeſtiam protulit Martialis: Si mediocria hìc multa, mala quamplurima, vix vllum fortaſſe bonum carmen inuenies,

Aliter non fit, Auite, liber.

At de primæ horum carminum editionis Authore niſi pauca præfarer, ingrati omninò animi notam ſubirem. Fuit is Præclariſſimus Iuuenis Ioannes Baptiſta Abbas Spinellus Cariati Principis & Se-

Seminariæ Ducis Frater, qui ante annum eadem Typis tradidit. Iure conqueritur Scipio Ammiratus, conſuetum Spinellæ Genti fuiſſe, præclara ſua decora diſſimulare, cumque alij Neapolitani Proceres exhibere ſibi vltrò cōſueuerint domeſticæ gloriæ monumenta, nihil à Principibus hiſce Viris extundi ab ſe potuiſſe. Sedenim ex ijs, quæ occultare ipſorum modeſtia non potuit, arguere licet cætera ornamenta ſtirpis heroicæ. Conſtat ex publicis tabulis, ante quadringentos omninò annos illuſtri Comitum titulo decoratam illam fuiſſe, Fiduciarijs Oppidis, Aquinatum Comitum propè regali Conſanguinitate: ac deinde adultam per omnes laudes ſub Andegauenſibus, Aragonijs, & Auſtriacis Regibus, à quibus Spinelli Principes, Conſilio, Manuque præſtantes non ſemel Exercituum Imperio ſunt admoti, & amplificata latiſſimè eſt illorum

di-

ditio; adeo vt Cariati tantùm Principi, preclariſſimo videlicet Triumphalis Arboris Ramo, præter Oppida quamplurima, & Pagos, pareant Vrbes omninò ſex. In his Carolus Cæſar hoc nomine Quintus Heroum Phœnix, cum per Calabriam iter haberet, Regio paratu exceptus, operto coram ſe capite ſtare voluit Ferdinandum Spinellum Caſtrouillari, & Cariati Ducem: nec abſimilis honor habitus exinde eſt Carolo, & Ioanni Baptiſtæ, ob egregiam nobilitatem, & merita; ac præſertim quia per annos quamplurimos triremes duas in hoſtes fidei ære priuato muniuerant. Sed aliena decora recenſere iniuria maximarum D. Ioannis Baptiſtæ Virtutum videri poſſit. Enimuerò ità excolit animum incredibili ſtudio Sapientiæ, ita ad omne officium Vrbaniſſimis moribus demittit ſublime Genus, adeò Religione in Deum, Prudentia, Modera-

deratione, nobilium Tolerantia laborum ornatur, vt ex ferè bis mille Adoleſcentibus, qui Gregorianam Academiam frequentant, nulli confidentius ominari liceat præclaros honores Sacræ Reipublicæ. Si teſte Vate, qui carminibus complexus eſt belli ciuilis Hiſtoriam,

Cæſarue priorem,
Pompeiuſque parem,

iniquè ferebant; à nullo ſuccenſeri mihi poterit, ſi dixero: non deeſſe, qui parem de ſe, ac Ioannes Baptiſta Spinellus concitauerit ſpem, deeſſe qui maiorem. Illam etiam amplificat Materni Generis claritas, qua Romanæ Nobilitati miſcetur arctiſſimè, qua Sabellos Principes, De Comitibus, Vrſinos, Pãphilios cõtingit adeo, vt ijdem omni ſtudio daturi operam ſint ad illius honores amplificandos, qui Sabelli Principis Amità natus, quinque Romanorum Pontificum indolem

dolem hauſit, & vnius ſupra triginta Principum Purpuratorum.

Hæc porrò carmina dixerunt Egregij Adoleſcentes.

Alexander Caſalius.
Antonius Ottolinus Seminarij Romani Conuictor.
Attus Celleſtus Seminarij Romani Conuictor.
Gabriel Perla Seminarij Romani Conuictor.
Ioannes Marcus Paggius.
Ioſeph Floridus.
Ioſeph Hache.
D. Rodulphus Aquauiua Seminarij Romani Conuictor.
D. Reſtainus Cantelmus Seminarij Romani Conuictor.
Vincētius Fazzinus Seminarij Romani Conuictor.

EPI-

EPIGRAMMATA.

Ex eo, quod Sol fuerit obſitus Nubibus, ac deinde ſerenus illuxerit, inferimus, Optimum Principem eodem AEMYLII nomine in Regno appellandum.

QVi nunc ÆMYLIVS fuit, Latini
Oſtri gloria, nunc & Vrbis Almæ,
Et Mundi Pater eſt. Benigniori
CLEMENS nomine dicitur. Pelaſgo
Sed vim nominis vtriuſque fonte
Si quæris, retinet vetuſta blandus
Princeps Nomina. Dicimus Latini
Clementem, Æmylium vocant Pelaſgi,
Clementem quoties vocant: Eodem
Ergo nomine nuncupatur idem
Clemens, Æmyliuſque. Nube ſeptus
Squalebas modo, Phœbe, quem videmus
Vultu nunc hilarem ſereniore,
Nunc mitem; fueras ſed ante toruus.
Idem at lumine blandiente ſemper
Princeps Optimus eſt, fuitque Clemens,

Tempeſtiuè accedendum ad ſacrorũ munerum functiones, inferimus ex Nubibus, & Pluuia.

QVi flore primo lucis exilit ſtratis,
Perfuſus imbre nullo, ad inclytum Templum
Proceſſit; at ſerus ſoporis excuſſor,
Multo imbre madidus Aetheri dedit pœnas
Ignauiæ. Edocere viſus eſt Imber,
Quàm primùm inerti eſſe à quiete ſurgendum,
Et Templa ſacra quantocyus frequentanda.

In Cæleſtem Proteum, & huius ſeculi infortunia.

NIgranti heù nimium, Princeps, quia tempore regnas,
Obſcuro, viden, vt Nubila in Axe rigent?
Sed quia fata ſerenabis mortalia, per Te
Fulgebit Phœbi lumine clara dies.

In Pluuiam, & Hoſtes Fidei electionem Summorum Pontificum calumniantes.

LEmana lugeat Excetra, irritum virus
Vomens in aſtra. Pontifex ſalutatur
Alterius. An triumphus in ſacris faſtis
Hoc maior inuenitur? Aſſequor cauſam
Pluuiæ hodiernæ. Romæ hic hoſtium eſt fletus.

In Solem è Nubibus tandem prodeuntem, & horrorem, quo Sanctiſſimus Princeps auerſatus eſt ſacrum Imperium.

COncilio elabi è magno ſi poſſet, in antris
Quæreret Æmylius perfugium, & latebras.
Nouere hoc ſtudium Nubes, luduntque tegẽdo
Solem, blanditæ Principis ingenio.
Ne latebras ſpera, Princeps. Solem ecce recludunt
Blanditæ Nubes Chriſtiadum ingenio.

In Nubes, & Cæleſtes Mores, & Gentilitia Sidera Principis Noſtri.

IN terris poſtquàm Cæleſtia cernimus Ora,
Cernimus & Mores Principis Æthereos,
Pallentes Cælo Phœbus non diſcutit vmbras?
Phœbe late: hìc Cælum, hìc Phœbus, & Aſtra vigent.

In ſolem ſub Nubibus diu latentem, & mirabilem Demiſſionem animi, qua Sanctiſſimus Pontifex repulit indignabundus illos, qui omnium primi Regnum ipſi obtulerunt.

HVmanos Clemens mirè auerſatus honores
Reppulit, ante ſuos quì cedidere pedes.
Phœbe, diem meliore coma non ſpargis? Eous
Impexus crinem triſtior vrget iter?
Principis an trepidas iram, ſeruire triumphis
Illius obſequio ſi videare tuo?

In Solem ſub Nubibus latentem, & Sanctiſſimum Pontificem, quem per vim ſacris veſtibus induerunt Purpurati Principes.

SOlem educere Nubium inuolucro
Cur eſſe Herculeus labor videtur?
Cur ſerò iubar exerit nigranti
Sol è carcere? Nam ſereniorem
Solem è Nube Modeſtiæ reuellit
Per vim Purpurei labor Senatus.

In Pluuiam, & Clementis Optimi Sanctiſſimum crimen.

CRiminis expertem conſuetus ducere vitam,
Per è omnes Clemens mortales funere mergit,
Dum Diadema fugit. Scelus hoc non omnibus vndis
Abluat Oceanus, ne dum rorantibus atra
Eluerit lachrymis Nubes. Fruſtra ingruit Imber.

In Solem diu Nubibus tectum, & Aemylium Cardinalem Alterium, quem ipſamet inuidia calumniari nunquam eſt auſa.

AEmylius ſemper vixit ſine vulnere famæ?
Eximium ipſa iubar ſuſpicit inuidia.
Huius nulla hebetat Solis caligo nitores,
Cæleſtem velant nubila: maior hic eſt.

Ex Nubibus Neſtoream Aetatem ominamur Optimo Principi, qui diu recuſauit Imperium.

REgnum repulſæ plurimæ impatiens, diu
Torquere Te decreuit. Aeternam trahit,
Sub Nube quanuis abditus, Phœbus diem.
Latere quæris? Ideo, Sol Vrbis, ſacrum
Per luſtra terris plurima affundes iubar.
Torquere Te decreuit Imperium diu.

In Cæleſtem Proteum, & Aemylium Alterium, quem nondum ſacro Purpuratorum Principum albo adſcriptum plerique ominabantur fore Summum Pontificem.

ROmano nondum fueras conſpectus in Oſtro:
Ornabit, dixi, Te Diadema Triplex.
Nubilus Axis erat: Regnabit Cynthius, inquam,
Clementis cinget cum Diadema caput.
Euenere. Nitet pulcherrimus Aethere Phœbus
Fulgore ornatur cum Diadema Tuo.

De Cæleſti Proteo ad Clementem Naturæ imperantem, & recuſantem Hominibus imperare.

SI Diuina Tibi virtus, Diuini & imago Imperij eſt, Spreto Maior & Imperio es,
Gregorium vt Magnum dixit, Magnumque Leonem,
Magnum Clementem poſthuma Fama canet.

In Pluuiam, & Diui Malachiæ vaticinium, qui dixit, Sanctiſſimum hunc Pontificem fore De Flumine Magno.

TYbride quis Maior? Non illi certet Orontes,
Non Tagus, aut Rhenus, non tua lympha, Liger:
Ipſe etiam Oceanus Tybridi deceſſit, Olympo
Cum Roma æquauit belligera Imperium.
Regales Pluuià Tyberis cur augeat vndas?
Magnus, quamuis non Imbribus auctus, erit.

Deum ſub Nube videndum ſe non rarò præbuiſſe, narrant Diuinæ literæ.

DIuina ſe ſub Nube ſueta Maieſtas
Mortalibus præbere. Fulgidæ Nubes
Diuinitatem ſi decent, tegant Cælum,
Diuina cum exornat Corona Clementem.

De Pluuia, & Tyberi, qui eluuione intumuit, quo anno Sanctiſſimus Princeps natus eſt.

VItales Clemens cum primùm venit in auras,
Erupit ripis furibundo gurgite Tybris:
Cumque Triplex parat Aethereos circundare crines
Inſula, Cæleſti rurſus turgeſcere lymphà
Ambit, & in campos effundi ſpumeus amnis;
Principis ingenium vt referat, qui largus inundat
Omnia muneribus, fœcundam vt Nilus arenam
In Pharios infert ſepteno flumine campos.

In matutinas Nubes, & Imperij Fugam.

CVr luce pulſa, ſqualida exoritur dies,
Cum ſceptra Magnus ſumit Imperij Pater?
Nil quippe Regno triſtius Magno eſt Patri.

In Imbrem & Lachrymas Sanctiſſimi Pontificis.

REgnum auerſatus largo fles imbre: Tuuſque
Fletus Cæleſtes elicuit lachrymas,

In Nubes, & Optimum Pontificem.

QVem ſerò extorſit tellus, ſuccurrere ſæclo
Infauſto hunc, Superi, ne prohibete ſenem.
Perpetuos Sol hic viuat ſi Neſtoris annos,
Perpetuis Cælum Nubibus obruite.

In Cæleſtem Proteum Clementi obtemperantem.

CVncta ſupercilio Terrarum Regna mouere
Quod poſſis, Sacri Muneris Imperium eſt.
At nutum Natura Tuum, Rex Magne, veretur:
Hoc Virtutis, non muneris Imperium eſt.

In Pluuium primò, deinde repente Serenum Tempus, quo coronatus eſt Sanctiſſimus Princeps.

NOcte pluit tota, redeunt ſpectacula mane.
Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habet:
Mane pluuit: pluuia haud lædit ſpectacula: Auita
Prodigia oſtendunt Cæſarem, at iſta Iouem.

In idem Argumentum.

CVm Ioue diuiſum Imperium ſi Cæſar habebat,
Ipſum Clementi eſt Numinis Imperium.

Victor Auguſti & Naturæ Clemens.

HVmanæ Pater, & Cuſtos Mitiſſime gentis,
Dotibus Auguſtum vincis, & Imperio.
Ille etenim haud totum frænauit legibus Orbem:
Cælum aperis: Tellus Te, & Nigra Regna colunt.
Natura hinc adeò maiorem victa triumphum,
Quàm quondam Auguſto, detulit ipſa Tibi.

Omen ex Cæleſti Proteo.

PRodigijs qui Auguſtum vincit, vincat & annis.
Imperij: octò illi ſint neque luſtra ſatis.
Poſt centum exegiſſe decem ſi dicitur annos
Alterius Proauus, ſint Tibi luſtra decem.

Ad Sanctiſſimum Pontificem Sole è Nubibus prodeunte coronatum.

IMbrem ſuſpendis, capiens Diademata Regni.
Senſerunt Numen Nubila & ipſa Tuum.

In Pluuium, mox Serenum Tempus.

IMbre pluit tacito, Sol mitibus aureus vndis
Mox prodit, rurſus blandior vnda cadit.
Luditis, ò Superi. An Romam læſiſſe verentur
Nubila, quam Clemens conciliat Superis?

In Imbrem, & ſublata dicatis Diuino cultui viris ab humaniſsimo Principe Vectigalia.

DIuinitatis cultui addictos leuas
Onere vetuſto. Plorat interea Polus?
Sed terra, Princeps, munere exultat Tuo.

In Nubes, & perpetuas Curas, quibus addictus eſt, dum ſacræ Reipublicæ famulatur Optimus Princeps.

EXultans non ridet Cynthius? Haud Tibi fulſit.
Nam ſine curarum Nubibus vllà dies.

Augurium ex Pluuia.

DVM Regno Tua Roma Tuo, Pater Alme, ſuperbit,
Imbre madet: fauſtum eſt Cælitis omen aquæ.
Auguror. Aethereo luſtratas Flamine gentes
Innumeras Clemens abluet amne ſacro.

Fauſtum Omen ex Pluuia.

AVratam dabit hic Pluuiam, Diademata Regni.
Qui dum ſacra capit, labitur Imber aquæ:

Certamen Augurum, ex antecedentibus ſignis Serenam, aut Pluuiam fore diem, qua coronandus erat Sanctiſſimus Princeps ominantium.

NVbe inuolutus condidit diem Phœbus:
Hodierna Pluuiam craſtinam ferunt ſigna?
Natura fruſtra terret; eius euertet.
Nam iura Clemens: Pulchra ſurget Aurora,
Vicarius qua Numinis coronatur;

Sudum erit.

EXhilarant Cælum plaudentis gaudia Romæ.
Phœbeis radijs rideat Aula Iouis.

Sine vllo Tonitrui ſtrepitu erit Nubilus aer.

NVllum Serena è Nube fulmen erumpet.
Romana Nubes Fulmina parat in Thraces.

In Imbrem, & Lachrymas Sanctiſſimi Pontificis.

CÆleſti tergas manantia lumina rore,
Gutta nec è grauidis Nubibus vlla fluet

Omen Pluuiæ.

QVæ ſæpe Pluuias Nube fœcunda ciet,
Aera pererrat Tartari nigrans cohors:
Dolore contabeſcet ob Regnum Optimi
Clementis. Ergo craſtinas Pluuias aget.

Obſitus Nubibus erit aer.

PRincipis Auguſtis radiant inſignibus Aſtra
Cætera condantur Nubibus Aſtra, decet.

Serenitatis Auſpicium.

MOrtalium pulcherrimum intueri opus
Sine Nubium velamine haud Cælum volet?

Pluuiæ metus.

CAeleſtes oculos velamina nulla morantur.
Diues fæcundis Nubibus Axis erit.

Augurium ſereni Cæli.

OPtabit fauſto Sol lumine noſtra tueri
Gaudia, & illimi deterget nubila Cælo.

Perturbati aeris omen.

CAeleſtis dubio vaneſcet Cynthius auro,
Aurea cum melior ſumet diademata Phœbus.

Regnum ſubterfugere omni ſtudio conatur.

VSque adeò torquet, Clemens, Tua tempora Regnum,
Vt, dum Sceptra capis, Nubila flere velis.

In fauſtiſſimum Imbrem.

IN largam quamuis ſoluatur Iupiter vndam,
Et triſti terras obruat Imbre Polus,
Hac mercede placet. Clemens dum regna capeſſat,
Cæleſtis Pluuiam nectaris eſſe rear.

De Pluuia, & D. Malachiæ Vaticinio.

FAtidicus pingi Vates qnem vidit ab vndis,
Sceptra petit, fauſtæ dum fluit Imber aquæ.

Cur Mitis, & ſaluberrimus fuerit Imber.

INnocuus Miti cur Cælo labitur Imber?
Clementis Mores edidiciſtis Aquæ.

Erit Nubilus Aer.

VT documenta ferant, nihil omni ex parte beatum
Eſſe, Triumphalem præcingent Nubila lucem.

Dum Sacrum non ſine Lachrymis facit Sanctiſſimus Princeps, ſoluuntur in Pluuiam Nubes.

DIuinam Aeterno Prolem dum Myſta Parenti
Deuouet, aſſiduo perluit Imbre ſinum.
Hinc ſolui in Pluuiam didicerunt Nubila. Fauſtum
Quem Clemens Imbrem prouocat, eſſe negas?

In Pluuium, mox Serenum Cælum.

NVbibus è grauidis illata pericula proſunt:
Gaudia fruſtratus duplicat ipſe Timor.

E Nubibus inferimus ſacros Fidei Triumphos, quos ab vniuerſo Terrarum Orbe referet Maximus Clemens.

CVr ſuſpenſus agit Phœbus per Nubila currum,
Et maius refugit decolor ipſe Iubar?
Vincendum ſeſe nouit. Mortalia curans
Phœbeum Clemens nam ſuperabit iter.

Cœleſtis Animus Sanctiſſimi Principis pictus à Nubibus.

INcolis Axem Animo. In Cœlum ceu Nubila conflans
Effertur Tellus, & peregrina Thetis.

In Auroram fauſtiſſimi diei Nubibus innolutam.

CVr nigra auguſtam velarunt nubila lucē,
Primus ab Eoo cum micat Axe dies?
Nam Phœbo dixit Roma: haud tua lumina profer,
Cum rutilat noſtro maius in Orbe iubar.

Thaboris, & Vaticani Nubes.

DElibanda ſuæ Numen cum fulgura luci
Præbuit, in rutila exhibuit ſe Nube videndum.
Hinc, quando Clemens Diuino lumine fulget,
Aurea Romanum cinxerunt Nubila Cælum.

In Nubes.

SVſpendit Clemens, Nubes quem parturit. Imbrem:
An, ſudum ſi eſſet, laus tua tanta foret?

In Nubes, & Eximiam ſapientiam Pontificis Maximi.

NVbe fluit Pluuia, exundans ſapientia Magni
Principis Auguſtum dum Diadema ſubit.
Eloquij terras ſacri qui flumine lactant,
Pinguntur Patres Nubibus irriguis.

Ex Nubibus inferimus, Optimos Imperij Adminiſtros ab Egregio Principe lectos fuiſſe.

NVbe vt nitores Phœbus inuoluit ſuos,
Sic, Magne Clemens, ſponte Diuinum Iubar
Imminuis, alijs lucem & affundis Tuam,
Fulgere Tecum Sidera & Phœbus iubes.

In innocuam pluuiam.

SI Mores, Pater Alme, Tuos benè pingeret Imber,
Lacteus efflueret Nubibus vſque latex.

Qui tempeſtiuè Auguſtum D. Petri Templum petunt, immunes Pluuiæ ſunt.

INnocuæ pendent Nubes, nec Aquarius vrnam
Exerit. An nouit, cui famuletur Aqua?

In Solem Nubibus tectum.

COndit Apollineos Radios cur inuida Nubes?
Maius an Vrbi Sol inuidet ipſe Iubar?

Dum

Dum Vaticanum petunt Purpurati Patres, ſub Nubibus delituit Sol.

SYrmate nigranti ſubtexuit Optimus Axem
Princeps, ne lædas lumine, Phœbe, caput.
Nubila cui præbent famulatum, victaque paret
Natura, hunc ego non ſuſpicer eſſe Deum?

Cur Imber è Nubibus defluxerit, & Fulmen ex iiſdem non eruperit.

FOecundus Imber, Fulmen & nocuum ſolet
Prodire Nube. Fertilis nobis erit,
In perfidos & Fulmen Odryſios parat.

Fauſtum omen ex Nubibus.

HOſtibus aut Fidei portendunt Nubila Bellum,
Aut Lachrymas, Sanctus quas dolor eliciat.

In Imbrem, & Lachrymas Principis Noſtri Imperium auerſantis.

PLoras, ne ſummo regnes in culmine rerum?
Has quis Cæleſtes eſſe neget Lachrymas?
Hinc Pluuiâ tecum rorantia Nubila plorant.
Lætitiâ Cælum, aſt ipſe Dolore mades.

Sole è Nubibus erumpente aliquandiu pluit.

EXultans deflet Cælum? Quandoque recẽti
Lætitia iniuſſæ proſiliunt Lachrymæ.

In pluuiam.

NVbibus erumpunt quot guttæ, tot Tibi, Clemens,
Sunt Dotes, Magni tot Charites Animi.

In Nubes, & Gentilitia Pontificis Maximi Sidera.

HAud luſtrat roſea terras Sol luce? Latere,
Cum regnant Cælo Sidera, Phæbe, ſoles.

De Sole diu ſub Nubibus latente ad Modeſtiſſimum Principem.

SOl latet, at celſa Cæli in regione triumphat.
Sponte lates, Phœbo aſt altior aſtra petis.
Et quia ſponte lates, ſublimis in Axe triumphas.
Qui latet, hunc verè dixero Magnanimum.

Dum in Vaticanum Templum infertur Sanctiſſimus Princeps, ſub Nubibus Sol deliteſcit.

ROmulidum rapiat Princeps cum lumina, Phœbus
Maluit ingrati quæſitam carceris vmbram,
Quàm luſtrare Polum facibus, quas nullus adoret.

Ex Pluuia Omen.

EXcidium hic Imber Thraci fatale minatur.
Largior Odryſij ſanguinis Imber erit.

In Pluuiam, & Lachrymas Sanctiſſimi Principis ſacras ad Aras operantis.

HIc etiam noſtros lachrymarum prouocat Imbres
Imber, vt, Alme, ſacro ſpargeris Imbre, Pater.

E *nubibus inferimus ſupremum Ius Sanctiſſimi* Principis.

TRadita Lex Moſi de Nubibus. Aurea ſumens
Sceptra inter Nubes condere Iura poteſt.

In Pluuiam, & perpetuum ſacrarum Precum *ſtudium, cui addictus eſt* Religioſiſſimus *Princeps*.

DVm Sacrum peragis, Tecum rorantia plorant
Nubila; Sol regnat, dum Diadema ſubis.
Qui diuturna vocare ſoles in vota Tonantem,
In Solem, atque Imbrem ſumere iura potes.

In Pluuiam delapſam, dum Beneficentiſſimus Princeps ſacras ad Aras operaretur.

VBera Terrarum ſunt Nubila. Pingitur illis
Clementis, lactat qui Populos, Animus.

In matutinas Nubes, & ſublatum ab Optimo Principe ſacris hominibus Vectigal.

VT Cælum, Terras, ac Tartara Numine flectat,
Sceptra capit Clemens, Nube tegente Polum.
Quis, Pater Alme, Iouem Te non putet eſſe Tonantem?
At pluis Auro, non Tela triſulca vibras.

In Tempeſtiuum, & agris ſaluberrimum Imbrem.

VT tempeſtiuum ſoluunt ſe Nubila in Imbrem!
Hunc Clemens dedit: haud fertilis eſſe nequit.
Prodigiosè Orbi Te, Clemens Optime, tandem
Indulſit Deus: haud Optimus eſſe nequis.

In auroram Nubibus tectam.

CONſtiteram exorientem Auroram forte requirens,
Cum ſubitò Clemens Optimus exoritur.
Pace mihi liceat, Cæleſtes, dicere veſtra
Mortalis radios vincit Apollíneos.

In Nubes, & Imperium Summi Pontificis laborioſum.

TErgemina dum Roma parat redimere Corona
Clementem, Phœbus Nubibus induitur.
Chriſtiadum Patri rarò affulgere Serena
Læta ſolent: ſæpe hic Nubila Phœbus amat.

Per tres ferè horas identidem redeunte Pluuia *maduit Roma.*

DVm pluuia Romam redeunte irrorat Olympus,
Fœcundatque agros, labitur hora triplex.
Sic ſacris onerare ſoles dum Sidera votis,
Imbre per Æthereas vſque cadente genas,
Tres fluere, & quatuor ſueuerunt ſæpius horæ.
Vt campis animi fertilis Imber hic eſt!

Ex eo, quod nullo Venti, aut Tonitrui turbine concitatus ſit Pluuius aer, inferimus ſilentium, quo initum eſt conſilium eligendi Sanctiſſimum Clementem.

MIſcetur nullo ceu murmure, dum pluit, Aer,
Purpureo nulli ſonuerunt Æthere nimbi,
Dum Sancto Patres conſpirant fœdere, Terras
Vt Clemens regat Imperio, Cælumq; recludat.

Deus inter Nubila.

LVmine ne lædat Numen mortalia, vultum
Conſueuit rutilis Nubibus induere.
Quem præfert vita, penè eſt Collega Tonantis,
Sceptra inter Nubes cui parat Imperium.

Cur Sole à Nubibus erumpente aliquandiu pluat?

ILluſtre quamuis exerat Phoebus caput,
Fluit Imbre Nubes, Gaudium hos fletus ciet;
Serenus hinc in Lachrymas Æther cadit.

Diuinus Triumphus in Nube ad Sanctiſſimum Principem.

IN Nube effertur ſi Numen ad Aſtra curuli,
Diuinum is inter Nubila ad Imperium.

A SS. Patribus Doctores fœcundis nubibus comparantur.

DIuinitatis erudire Proreges,
Per cætera poteſt ſecla Vita Clementis:
Exemplar Ille eſt omnium. Ergo doctores
In Nubibus cum ſueuerint colorari,
Suos nitores Nube Phoebus inuoluit,
Diadema fronti dum paratur Auguſtæ.

Imbris cauſæ.

CVr Vrbem Nubes humectant Imbribus? Almum
Quòd ſerò Clemens fertur ad Imperium.

In Nubes, & Fauſtitatem ob diuturna Comitia.

AT ſerò & ipſe venit in Terras Deus,
Terraſq; vinclis ſoluit:& Clemens iugo
Soluet vetuſto criminum. In Lachrymas Polus
Ne ſoluat Imbrem. Fauſta ſors Terris redit:
Expelle Nubes, Roma, in Ægeum Mare.

Nubes Iſraelis dux.

DVx fuit Iſacidum deſerta per auia Nubes.
Optimus affulget nunc inter Nubila Ductor
Chriſtiadum Populo, qui ad paſcua læta volentes
Flectat oues, ſilua errantes educat opaca.

Iuſtitiæ cultor eximius Corona exornatur, poſtquam diu ſub Nubibus delituit Sol.

GEnibus minores quem tremunt ipſi duces,
Iudex verendus, arbiter mundi ſacer,
Dum Nubibus velatur obſcuris Polus,
Ad ſceptra fertur. Alteri vt nubi inſidens
Librabit æqua lance Mortales Deus.

Deus olim viſus inter Nubila.

DIuinus quia Nube ſuos Sol abdidit ignes,
Solem abdis, Regnum dum Tibi ſceptra parat.
Diuini ſemper ſpecularis lumina Solis:
Hinc hauris, Clemens, Numinis Ingenium.

Sol è Nubibus erumpit, dum Sanctiſſimus Princeps coronatur.

SOl prodit Nube, indicens noua gaudia Romæ,
Orbis adoratos dum cadit ante pedes.
Vt Sol Clementi ſoluat vectigal ab Axe,
Nubila cœperunt obſequioſa fugam.
Quos decet eſſe Hominum tali ſub Principe Mores,
Qui iubet Ingenium Nubibus eſſe Pium?

In Tenuiſſimum, & Rori ſimillimum Imbrem.

CEù ros in gramen deſcendit Numen ab Aſtris.
Imperium Clemens Numinis inſtar adit.

In Solem è Nubibus erumpentem.

ET noua Apollineum pertentant Gaudia pectus,
Æneadum vt Cælo Procerum ſe gloria tollit?
Clementi lætus non plaudat ab Æthere Phœbus?
Romulidis Fauſtam lucem Sol non notet Auro?

E Nube ſubluſtri viſus identidem fuit Sol.

E Nube Phœbus promit, & cælat diem.
Diuinitas Clementis è vultu emicat,
Cæleſte quamuis membra compeſcant iubar.

In Pluuiam, & fauſtiſſimum ſilentium, quo de renunciando Pontifice conſilium iniuerunt Principes Purpurati.

COncubia dum nocte tacent mortalia, Numen
Vagitu Bethles impulit antra Puer.
Sic dum cuncta ſilent, tradunt Tibi ſceptra Tonantis
Purpurei Patres: ſic tacet Imbre Polus.

In Solem è Nubibus erumpentem, & renunciatum poſt diuturna comitia Optimum Principem.

TRanquillo ridet pacatum lumine Cælum,
Dum fremit exultans Principe Roma ſuo.
Dilata & geminantur gaudia. Pulchrior eſt Sol,
Cum dederunt Phœbo Nubila pulſa locum.

Dum Vaticanum Templum ſubit Să-ctiſſimus Princeps, ſub Nubibus Cœlum latet.

TEmpla tuo, Salomon, Petri Cæleſtia certant.
Illud Nube latens ſuetus inire Deus.
Hoc, dum conditus in Nubem Sol Axe receſſit,
Templum adit, ingens qui Numinis inſtar habet.

In Nubes, & horas, quas quotidie plurimas ſacris precibus indulget Religioſiſſimus Princeps.

DIuino alloquio dignati è Nubibus olim
Aurea ſueuerunt ora videre Dei.
Perpetuò alloquitur Numen, qui dum humida pendent
Nubila, Tergeminum fertur ad Imperium.

In Solem Nubibus tectum. Ad Sanctiſſimum Clementem, ne Imperium auerſetur.

Conditus in Nubem cur Sol fulgere recuſat?
Quid Sol? Terrarum Nobile Mancipium:
Perpetuo curſu terris famulatur. Haberi
Chriſtiadum Seruus, Phœbe ſuperbe, negas?

E Nube Diuinus Filius declaratur.

CVR, Lucis Alme Rector, in Nubem tuos
Cogis nitores? Nube nam è fauſta Parens
Natum indicauit, ora qui mortalia
Induerat olim. Nube ſic tegitur Polus,
Dum corporati qui gerit vices Dei,
Cæleſtis eſt ſumpturus Imperij notas.

In Nubes, & ſeruatum hoc etiam anno à Religioſiſſimo Principe ieiunium quadraginta dierum.

PER Quadraginta exegit ieiunia Soles,
Ac dein fulminea Moſes è Nube Tonantem.
Cernere promeritus. Totidem tenui dape Clemens
Durauit Soles, dein ipſe è Nubibus aureis
Exhibuit Romæ ſpeciem, Imperiumque Tonantis.

Cæleſtis Proteus alloquitur Eminentiſſimum Principem Palutium Cardinalem Alterium.

MVltiplici è vultu, quem, Princeps, induo, pingens
Fronte Triumphalem verſicolore Diem,
Te notat, Illuſtris qui profert lumina Solis:
Romæ Hoſtes Imber, Nubila & atra notant.
Quiſquis Romani Sancta horret Regna Parentis,
Fletus Imber madet, Nubibus induitur,
Dum ſacri Alcides Atlantis, publica curans
Cōmoda, Romuleum tollis ad Aſtra decus.
Indolis Auguſtæ fulgor, Generoſus Auitæ
Stirpis honor, Vultus atque Animi Charites,
Ingenij lux, & Claræ Sapientia Mentis,
Aurea Regalis Pectoris Integritas,
Te oſtēdūt Solem: aut de Sole Parelion, alma
Clementis Magni lumina fronte refers.
Cæleſti intuitu peperit Tua lumina Clemens,
Vt Soles alios Sol parit intuitu.

Proteus Cæleſtis, ſiue multiplex vultus diei, quo coronatus eſt Sanctiſſimus Pontifex.
Ad Excellentiſſimos Principes Gaſparem Alterium S. R. E. Generalem, & Angelum Alterium Triremium Præfectum.

CAeruleus Pelagi Vates ventura recludit:
Omina multicolor dat quoque fauſta dies.
Sanguineam Thraci pluuiā prænunciat Imber:
Soluenda errorum Nubila, Phœbe, notas.
Conſultò erumpis Nube, & magna omina præbes
Communis cultus, Phœbe, iterumq; lates.
Quidquid flagranti luſtrat Sol lampade, nutum
Clementis colet, hunc Phœbus vt ipſe colit:
Et colet Heroes, quorum ſelegit ab omni
Romana Clemens Nobilitate Genus.

De

De Sole, & Pluuia ad Sanctiſſimum Pontificem.

CAſtalia Vnda Tuus nobis eſt Imber: Apollo
Ipſe es, Magnè Parens, Siderum, & Orbis Amor:

Augurium ex eo, quod dies, qua natus olim eſt Eminentiſſimus Princeps Palutius Cardinalis Alterius conſequatur diem triumphalis pōpæ Maximi Clementis.

CLementis ſequitur Tua lux natalis honores:
Poſt illos debent num Tua Regna ſequi?

IN NIVES

DEVOLVTAS

Pridie Kalendas Ianuarias Anni 1670. Epigrammata centum totidem Diſticis comprehenſa.

Dicta in Claſſe Rhetoricæ tertio Idus Ianuarij Anno 1670.

PROLVSIO.

CVM artificium variandi formulam, & ſententiam edocebamur, quæ vna eſt ex præcipuis Rhetorum laudibus, eademque animos iucundiſſimè ſuſpendit, adeo vt admirationis mater, aut filia dicatur Iris, eo quod

Mille trahat varios aduerſo Sole colores,

Contigit, vt nix vltima Decembris die Romam velaret. Placuit hinc exempla deſumere illius, de qua tunc

tunc ſermo nobis erat, varietatis, vtque vnam, & eamdem rem multipliciter exhiberemus, candidiſſimam niuem plurimis poeticis pigmentis colorauimus. Accipite fauſtis auribus Epigrammata centum totidem diſticis comprehenſa, ad quæ ſcribenda non à quouis fonte aquam noſtras in areolas deriuauimus, ſed tantùm ex celebri loco ab Adiunctis, imò ne ab hoc ipſo quidem, quà latè patet ad omnia, quæ rem circumſtant, ſed quà ſolummodò animaduertit tempus, quo res ipſa contigit. Quærimus ergo cur è Cœlo deuolutæ ſint niues pridie Kalendas Ianuarias, & licet magna ex parte contabuerint eodem, quo lapſæ ſunt, die, tamen ipſas etiam Iani Kalendas candore notauerint.

In mites Diui Sylueſtri niues temperantes frigus.

NEC tu Syluester, quamuis niue contegis Vrbem;
Vrbanus, lenis ſi niue frigus, eris.

In eiuſdem Diui Syluestri nomen.

SVB niuibus Syluæ hibernis plerumque laborant.
Sylueſtro hinc albet ſacra dies niuibus

In Soracte Monte Diuus Syluester delituit.

CAndida ſunt niuibus Soractis culmina; Romæ
Sylueſter Montem fingit, vbi latuit

In eundem Diuum Syluestrum, qui Constantinum Cæſarem ſacro fonte lustrauit.

CVM Conſtantinum liquido abluit Aethere, primas
Sylueſter tribuit tunc tibi, Roma, niues.

Aenigmaticè innuitur, amictam niue Romam fuiſſe festo Diui Syluestri die.

SYlua niues Romæ defert? Ediſſere. Diſtat
Vrbe nemus: Romæ ferre niues poterit?

Vltima Decembris dies ſacra eſt Diuæ Columbæ Virgini.

INtacta niue candidior petit aſtra Columba,
Virgineaſque ſuo ſpargit ab Axe niues.

Cur ante Diuæ Euphroſinæ diem Roma niuibus obruatur?

EVphroſinæ latuere niues ſub veſte Virili:
Sub quibus Vrbs lateat, nunc dedit illa niues.

Vltima Decembris dies Diuo Barbatiano addicta eſt.

BArbatiani feſta dum redeunt ſenis,
Vís tanta ab Aſtris labitur canæ niuis.

Dum inſtat octauus poſt Natum Diuinum Puerum dies, labuntur niues.

MVnifica his olim rorarunt aſtra diebus,
Candidaque hæc niuei ſunt monumenta Dei

Martialis luſum ad illuſtrius argumentum detorquemus.

QVI ſiccis blanditur aquis, & ab Æthere ludit,
Arbitror has pueri Numinis eſſe niues.

Ex eodem Argumento aliud eruimus.

CAndorem qui poſcit, amatque niualia corda,
Diuini has Pueri, quis neget eſſe niues?

In idem argumentum.

SVnt niuei ſoles, pueri qui Numinis ortum
Concelebrant: ſiccis hinc decorantur aquis.

Poſt natalitia Diuini Pueri feſta decidunt niues.

LAbere nix: niueus Puer eſt, Puerique Corona,
Ioannes nix eſt, & Pueri Innocui.

In SS. Pueros Innocentes.

VIM niuiũ magnã tellus donauit Olympo,
Miraris, Cœlo ſi cecidere niues?

Cur delapſæ pridie Kalendas Ianuarias conſequenti die niues ſoluantur.

CRas diſſoluentur canentia vellera: namq;
Diuini Pueri cras rubuere niues,

Ex eodem Argumento Omen.

LApſa hodie nix, cras Dio tingenda cruore eſt.
Fertilis eſt annus, cum rubuere niues.

Poſt lapſas niues mitius aliquandiu frigus fuit.

BEthlæa ſub rupe niues læſere Tonantem:
Ablatus rigor eſt à Puero niuibus.

In idem Argumentum.

MIteſcunt lapſa niue frigora: mite puelli
Numinis ingenium nam didicere niues.

In Aeſtiuas Exquilinæ Virginis niues, & hybernas Filij.

AEſtiuis niuibus Romæ blandita Virago eſt,
Hybernis Infans ludit, at innocuis.

In eaſdem Diuini Pueri niues temperantes frigus.

AEſtiuis niuibus Genitrix Diuina calorẽ;
Frigoraque hybernis Filius imminuit.

Cur niuibus operiatur Roma à Puero Diuino, qui Cæleſtem ignem in terras detulit.

IGneus eſt Infans. niueo cur labitur imbre?
Virgineas ignis nam ſouet ille niues.

Delapſæ poſt natum Diuinum Puerum niues frigus imminuunt.

GLacies adurit improba igneum Deum,
Qui nunc Quiritum temperat frigus niue.

Qui nunc candido niuium velamento Romam induit Diuinus puer,

Cunas habet in Exquilino templo à niuibus delineato:

VBI ceciderunt Matris æſtiuæ niues,
Sunt filij Cunabula. Vt niues amat!

Lu-

Luſus ex eo quod vltimo, & primo anni die Roma niuibus tegatur.

LAbuntur anni, Romulæ perſtant niues.
Ryphea vincet antra Romanum gelu.

Hoc ipſum Aenigmaticè exhibemus.

TOto anno ningit, nec bis duodena niuali
Hora pluit nimbo. Has, Oedipe, ſolue notas?

In idem Argumentum.

RArò, inquis, Romæ ningit? Geminantur & anni,
Dum tumulata iacent Romula tecta niue.

Sub initium noui anni labuntur niues.

FAuſtior annus init, cuius primordia ningens
Signauit Cœlum candidiore nota.

Cur vltimo anni die labuntur niues?

DEbuit effœti lux Anni extrema Senilem
Mentiri cano vellere Cæſariem.

In-

In eundem niueum anni finem.

LVX anni poſtrema niues cur illinit agris?
Credi abiens annus nam cupit innocuus.

Contra niues vltima infauſti anni die lapſas.

CReſſa notandus annus haud fuit nota,
Quo Creta cecidit. Craſtinum expectent niues.

Sub finem anni, quo extinctus eſt Sanctiſſimus Pontifex Clemens Nonus, labuntur niues.

IN lachrymas nix meſta fluat, dum clauditur annus,
Quo Creta; & Clemens Optimus interijt.

In idem argumentum.

CLemens hunc annum incepit, Cœloque receptus
Blanditus terris donat ab Axe niues.

Cur mites fuerint niues, & frigus aliquandiu temperauerint.

CAndidus, ac mitis Princeps demittit amicas,
Dum ſuus hic annus clauditur, Axe niues.

In eundem niueum anni finem.

AN ſiccis lachrymatur aquis ſua funera cedens
Annus? Cur arent? Sunt ſenis hæ lachrymæ,

Cum ſiccæ aquæ dicantur niues, quærimus cur his annus defleat ſua funera.

MOrientis anni lacrymæ areſcunt: Solet
Siccare namque maximus fletum dolor.

Decembri menſe Saturnales ludi celebrari conſueuerunt.

SAturnalitij poſtrema luce Decembris
Innocuæ præbent ludicra tela niues,

*Eodem, quo lapſæ ſunt, die,
Magna ex parte tabeſcunt niues.*

CVR totus emori niueus annus nequit?
Niger emori, qui vixerat niger, ſolet.

In Lunaria preſagia vltimo Decembris die vendi conſueta.

Augurium certum primæ anni diei.

PRima niualis erit lux. Nunquam hodiernus ineptas
Scripſit Ephemerides certius Aſtrologus:

Luſus in eamdem niueam anni ſenectutem.

ROmanos moriens annus niue conſpuit agros;
Hæc eſt effœti namque ſaliua ſenis.

Cur vltimo anni die Niuibus caneſcat Roma.

NAM dici innocuus vellet, niue claudi-tur annus?
Subuertit Cretam, Noxius ille fuit!

Ex eadem Creta ſumimus Argumentum.

CAndida nix, pariterque infęlix Candia Cœlo
Labitur: illa in humum, hæc Tartara in ipſa ruit.

Vera Fauſtitas innocentia eſt: hanc nouo anno ex niuibus ominamur.

AVgurium fauſtum! Innocuum forę quis neget annum,
Cuius prima dies candida ſit niuibus?

In idem Argumentum.

DImidium confecit opus, primordia fauſta
Qui dedit. Eſt anno principium niueum.

Futile Argumentum diſſoluimus.

ORtu niuali tumidus annus tollitur?
Eſt ſemper innocens puer, an ideo & viri?

Quâ die xenia olim mitti conſueuerunt, ningit.

SAccareum Xenium quia ceſſas mittere, ningit,
Conflari vt niuibus ficta placenta queat:

Ad Moniales, quæ Xenia mittere prohibentur, vt ſaltem cruſtata liba niuibus conflent.

DOna prohibentur mittere ſacræ Virgines?
At cruſtula dare niuea quę leges vetãt?

In idem Argumentum.

DOnare poſſunt cruſtula hæc Aſcetriæ
Referta niuibus, nam queunt dare nihilum.

In

In pueros, qui ſub initium anni præſtolari ſolent ſacrarum Virginum munera.

AD cruſtulata liba, quæ Monaſtriæ
Miſere, pueri currite, at nix ſaccarum eſt.

In feſta conuiuia, quę ineunte nouo anno celebrari ſolent.

CVM nix famem exacuat, benè exortam, reor,
Dum feſti opiparè tranſigi ſolent dies.

Quo die delatoribus ſtrena dari conſueuit, Roma veſtitur niuibus.

EST quando diues pipere delator nigro,
Erit Solæcon aeris, ſi nix cadat.

In munus nigrum
Hac die Exploratoribus exhiberi ſolitum.

EXploratorem piperis donare cucullo
Aeconomi parcant: claude, cuculle, niues.

Luſus in eoſdem Exploratores.

EXploratori qua traditur improba merces,
Ningit luce? Nigram hanc par fuit eſſe diem.

In eorumdem laudem.

NIngit, tibi cum ſtrena, delator, datur;
Namque niueos tui timor mores parit.

In idem Argumentum.

TAntùm hodie nix è miti delabitur axe?
In delatores ſaxeus imber eat.

Ad pueros, qui ſaxa niuibus tegere ſolent.

SAxa, puer, tunica potes occultare niuali,
In delatores ſi tua tela volant

In eoſdem Exploratores.

HOC tantùm argento merces ſoluenda doloſo
Exploratori, quod tribuere niues.

In

In eoſdem exploratores inuehimur.

EXploratores nigra qua luce triumphant,
Alba Romanus cur niue candet ager?

In eoſdem delatores.

VT delatori rigeant ad munera dextræ,
Lapſæ hodie ſummo ſunt, reor, Axe niues.

Senſim, ac lentè labuntur niues die, qua Fabius Maximus olim interijt.

CVnctator hodie Fabius exceſſit: mora
Dum lenta moritur, tarda cur nix labitur?
Maſculus in faſtis 31. Dec.

In eandem Fabium Maximum hac die extinctum.

PER montes tractum Annibalem Fabius niue fregit:
Hæ Cunctatoris ſunt monumenta niues.

In eundem Fabium Maximum.

QVI Romæ Clypeus fuerat Fabius, tegere vrbem
Conſuetus, Romam nunc tegit his niuibus.

Niuali hoc die extinctus olim eſt Titus Liuius, qui lacteo eloquentiæ fonte manare dictus eſt.

LActea donauit viuens ſi Liuius Vrbi
Flumina, dat ſaltem poſt ſua fata niues.
The. V. hum. t.24. l.1.

In eiuſdem Titi Liuij interitum.

EXimius Liuj candor candore niuali
Pingitur: hinc albent, dū perit ille, niues.

Publius Ouidius exul vltimo anni die fato conceſſit.

NAſo Tomitanas hyemes tolerare coactus,
Queis perijt, donat nunc tibi, Roma, niues.
The. vitæ hum. t.24.l.1.

Cur

Cur in cœnum liqueſcant niues?

VIX orta nix tabeſcit: hac moriens die
Ouidius illam ſpiritu impuro enecat.

Niuali hac die interijt Commodus Cæſar.

COmmodus interijt, qua luce incommoda Romæ
Multa, licet mites nunc peperere niues:
Baron. an. 194. num. 3.

Kalendæ Ianuariæ dicatę olim erant Ioui, cuius feſto die Roma operitur niuibus conſuetis fæcundare campos.

STudium iuuandi nomen impoſuit Ioui;
Iuuare ſuetas arua largitur niues,
Gyrald. l. de anni menſibus.

In eundem Iouem.

DElabi in pluuium conſuetus Iupiter aurum,
Nunc ſpargit, redeunt dum ſua feſta, niues

Contra eundem Plutonis fratrem.

HAud niue conſpergi decet, at fuligine Romam,
Quondam vbi ſunt furui feſta agitata Iouis.

In eundem Iouem.

NIuibus doloſi fidat vt nullus Iouis,
Decepta Danae ab aurea pluuia monet.

In idem Argumentum.

ET Iupiter ſerò ſapit, vt olim Phryges,
Niueus videri ſi putat ſpargens niues.

Et Iunoni addictus erat hic dies Ioui conſecratus.

IN aere creantur niues: regnum aeris
Iunonis eſt: dant feſta Iunonis niues.
Gyrald. l. de anni menſib.

Lacteam ſemitam à Iunonis lacte formatam fuiſſe fabulantur Poetæ.

IVnonis lac in Cœlo ſi procreat aſtra;
Delapſum in terras fertile erit niuium.

Luſus in Apollinem, cuius feſto Aethnicis die niuea eſt Roma.

IMberbis genitor barbatæ es prolis, Apollo;
Sed canas quare dant tua feſta niues?
Alexander ab Alex l. 3. cap. 18.

Eiuſdem Apollinis ſenectutem illudimus.

IVuenis videri quia cupit, Phœbus genas
Abradit? Hæc eſt lapſa canities ſeni.

In Apollinis annos inquirimus.

PHœbe pater, ſi florebas vel tempore Næuj,
Confectus ſenio es: nix tua canities.

Ad Dionyſium Tyrannum Aeſculapij tonſorem.

FVrari auratam Proli, niueamque Parenti
Imberbi poteras, Dionyſi, affingere barbam.

Et Aeſculapio ſacri olim erant niuales hi dies.

MAgna Aeſculapj ſylua velabat genas:
Huic ſacra dies ningit: ferunt ſyluæ niuem.

Gyraldus l. de anni menſibus.

Eundem Aeſculapium illudimus.

BArbatus ſis vſque licet, ſis denique barba,
Phœbigena, haud niuea, aſt aurea barba tua eſt.

In *eundem Aeſculapium Archiatrum, ac niues temperantes frigus.*

MEdici Aeſculapj luce labuntur niues?
Si mitigat nix frigora, haud ægris nocet.

Kalendæ Ianuariæ conſecratæ olim erant Iuuentuti.

CAna eſt, Iuuentæ ſacra quæ fuit dies:
Cultus inanes forſan irrident niues?
Cic. ad Atticum l. 1. ep. 16.

Ex eo quod vltimo anni die Roma niuibus induta ſit, Romanæ innocentiæ argumentum eruimus.

QVÆ niueis anni ſub funera veſtibus albet
Roma, ſui præfert candida ſigna animi.

Ad vrbem Romam Fruſtra ſuperbientem niuibus ſuis.

NIue tegit ignes Æthna: Quod niuali annum
Claudas amictu, ne ſuperbias, Roma.

Qua die Lucius Antonius de Alpibus triumphum retulit, niue caneſcunt Romani Colles.

VT Africanus audit Africæ euerſor,
Quia fregit Alpes Roma, niuibus Alpina eſt.

Onuſ. Panuin. faſ. l. 5.

Concreti niue Romani montes apparent poſtremo anni die, quo Caius olim Marius de Iugurta triumphauit.

FRacto Iugurta Marius hodie Vrbem ſubiet
Vſta triumphum ex Africa exhibent niues.

Ibid.

Romanæ fidei hoſtes Mauri Vltima Decembris die à Bætica ſunt expulſi.

DEuicti monumenta niues albentia Mauri
Dixeris? at Maurus non erat ille niger

Ant. de Bald. Kal. 55. Virg. I. Ian. num. 9.

In

In idem Argumentum.

Albeſcunt Romæ colles, cum Bœtica Mauros
Expulit: an ſaltem nomina pugnam ineunt?

Quo die Tarquinius Superbus pulſus à Regno fuit, Romam integunt niues.

QVA luce exacti Reges, cur Roma niuali
Veſte tumet? pulſa ob crimina in exilium.

Hac ipſa die primi Conſules Rempublicam adminiſtrare incęperunt.

CVM Candidati Conſules magiſtratum
Ineunt, & ipſa cādet Vrbs niueo amictu

In Cariotas, quæ Kalendis Ianuariis mitti conſueuerunt. Ad Ponticum Auarum.

DOnari ſueuit Iani Cariota Kalendis:
Mitte apinas nunc, vel, Pontice, mitte niues.

Cur exortæ pridie Kalendas Ianuarias, conſequenti die in fluentem labem niues abeant.

CAnum os mutabunt cras Romæ culmina: Iano
Altera frons Senis eſt, altera frons Pueri.

Ianum primum Italiæ vinitorem fuiſſe perhibet fama.

SEuit in Heſperia Ianus vitem: huic quoniam æuo
Frigida vina placent, nunc dedit ille niues.

Bel-

Bellis præeſſe ſolebat Ianus, cuius prima dies niuoſa eſt.

SI Nix vel Iani prohibet pugnare Kalendis,
Clauſus erit Ianus. Pax trahet alma moram.

In eundem Ianum.

SIrmate Ianiculum Ianus decorare niuali
Tantùm debuit. Vrbs ſub niue tota latet?

In ipſum nomen Iani, *qui anni ianua dicitur.*

IAnua ſi alba eſt, ingreditur qua Ianus in annum,
Qui color eſt pacis, prælia nulla feret.

Ineunte anno ſolemus ominari amicis diuturnam ætatem.

CVM dare Neſtoreæ conſueuimus omina vitæ,
Ipſa etiam canos induit Vrbs niuea,

In eadem Omina plerunque inania.

NIuea ſenectus vrbis effluxit citò,
Hodierna ſenij vt omina cadunt irrita.

In vetuſtum morem exornandi domos lauro Kalendis Ianuarijs.

DElapſa nix eſt, quando velari domus
Sueuere lauró. Carmen hinc ornat niues.

Dum Comitia pro eligendo Pontifice Maximo celebrantur, candidi sũt niuibus Romani colles.

ALbus Pontificis color eſt: hic labitur aſtris,
Vt Patres illum dent citò Purpurei.

IN CRETAM

TVRCIS CONCESSAM

CARMEN

Dictũ in Claſſe Rhetoricæ à D. Rodulpho Aquauiua Seminarij Romani Cõuictore Tertio Idus Ianuarij Anno 1670.

CARMINIS PROLVSIO.

CLaudite iam riuos. Enimuerò cum ex vno tantùm fonte videlicet ex loco ab Adiunctis, ſeu potius ex vno tantùm vnius fontis ſyfunculo, videlicet ex notatione temporis, quo niues deuolutæ ſunt, vis tanta aquarum effluxerit; ſi ex quauis vena Caſtalium nectar haurire vobis arriſiſſet, pretioſa nos tempeſtate obruiſſetis. Sed enim probare ſatis non poſſum conſilium veſtrum, quandoquidem ſi vnum

tan-

tantùm vel vnum àtque ālterum Epigramma exaratum à vobis fuiſſet in niues, quamplurimi laudibus illa proſequuti fuiſſent, fortaſsis etiam memoriæ mandaſſent; ſed quia tàm vberi exultaſtis eloquentia, profectò non deerunt, qui iu vnum aut alterum minus elegans carmen irruant liuore Satyrico, cæterorum obliti; quodque pulcherrimum eſt, hoc illi præſtabunt audacius, qui ſi non centum, at decem ſolummodò Epigrammata in quodlibet vberrimum argumentum ſcribere iuberentur, fortaſſe pallerent,

Vt Lugdunenſem Rhetor dicturus ad Arã.

Interim à vobis, veluti vocalium labyrintho laurorum incluſo mihi ſubit animum Cretenſis Labyrinthus flebilibus cupreſsis conſitus in præſentia. Et quoniam non ineptè veſtrum aliquis dixit, delapſas è Cœlo niues fuiſſe vltima die anni, quo Creta infælix in Tartarum deuoluta eſt, hinc occaſionem deſumimus coniungendi argumenta, & quod luſimus breue carmen de Creta Turcis conceſſa, erudititiſsimis auribus conſignandi.

O Decus Europę Creta, ò Mauortia fruſtra
Mœnia, Dictęo tellus habitata Tonãti,
Quin vero dudum tellus addicta Tonanti,
Arx alta, Ægeum latè Regina per æquor,
Infęlix, ergo ſæua te compede vinctam
Odryſij tenuere canes! nec feruida virtus
Heroum, pius ad pugnam quos impulit ardor
Te fato inſtanti, & vinclis exemit acerbis.
Nec fortes iuuit fortuna: Mariſque tonantis,
Quod mille horrendo decies tormenta boatu
Exploſit, ceſſere minæ! Sudaſtis arenæ
Sanguine Gallorum; Fruſtra Belfortius heros
Irruit in Thraces, lapſum ceu fulmen Olympo,
Exultans armis, in ſe cum ferrea grando
Nitrato ingrueret nimbo, telique volantis
Aura frequens, mortis ſtridens & ſibilus atræ
Afflaret galeam, blanditaque lumina morti:
Heu Germanæ Aquilæ non diſcerpſere colubros!
Deuotuſque mori Belfortius occidit, eheu,
Sulphureo abſorptus pelago, & cãdente fauilla.
Nequidquam egregius bello, dextraque potenti,
Conſilioque ſacris Venetorum Pallas in armis,
Dux Maurocenus magnis hortatibus vrgens
Inſtantes operi Heroes, vel ab hoſte fremẽti
Non ſemel eximiæ retulit præconia laudis.
Nec foſſæ triplices, nec propugnacula, nec qui

Tarpeia magnus pugnabat ab arce Sacerdos;
Profuit! heu quoties ſomni immemor ille recluſit
Sidereis lachrymis armamentaria Cœli!
Et Romæ plauſus, Clementis & ora ruenti
Poſthabuit Cretæ Vincentius, oraque fati
Horrida magnanimo tentauit ſæpius auſo.
Aſt aliter viſum ſuperis. Generoſa probantur
Conſilia: in magnis voluiſſe, inſigne triumphi
Inſtar habet: Viden, vt buſtis affuſa ſuorum
Relligio fouet amplexu, fletuque decoras
Irrigat exuuias, nomenque illuſtre ſepulchro
Præfigit, lauroque ſacra, palmiſque coronat?
Inde Vrbem ſupra celeri ſuſpenſa volatu
Hæc ait: Heu captiua iaces in littore Creta,
Heu ſacra Delubra, atque aras, habitataque quondam
Mœnia Cęlicolis, Dio dignata cruore
Threicius quadrupes nunc incolit aurea templa!
Cuncta vtinam ſtabulis templa addixiſſet equorum
Barbarus. In cultum quatuor conuerſa profanum
Oſorem Superùm Memetem in vota vocabunt.
Quin etiam effoſſi cineres, atque oſſa ſepulchris,
Infandum! data ſunt rapidis ludibria ventis?
Talia dicenti gemitus aſſultat imago
Captiua ex turba: pelagi quoque turpe gementis

Ser-

Seruitium illiſa ad ſcopulos circumtonat vnda.
Aliger interea, ſacris qui præſidet armis,
Digreſſus Creta celſum repetebat Olympum,
Qui ſimul ac mæſto rorantem lumine vidit
Te, pia Relligio, dictis affatur amicis.
Exhilarant victos magnæ ſolatia cladis,
Queis immortales peperit mors inclyta lauros.
Viuida nec virtus Venetis, nec defuit ardor.
Hoſtili obruimur numero: nec inertia bello
Pectora, nec nullis ſunt cognita nomina faſtis,
Threicius, Macedo, Epirota, Argiuus, & Afer.
Quantus ab Argolicis effuſus turbo ruinis
Incubuit Cretæ? Spartæ exarſere ferocis
Relliquiæ: grandi pubes Argiua triumpho
Perſarum exultans, & fracto Xerſe ſuperba:
Huc magno Pellæa Phalanx Duce nobilis, olim
Quæ Perſas, totumque Orientem, Indoſque ſubegit,
Sanguine quæ rorans, & belli aſperſa decoro
Puluere potauit fumanti caſſide Gangem,
Belligera miſit natos de ſtirpe nepotes.
Huc, Epire, tuos miſiſti, ſigna ſecuti
Qui Pyrrhi quondam Capitolj immobile ſaxum
Concuſſere: ſuos huc miſit & Africa alumnos,
Qui fregere tuas, Romana ſuperbia, vires;
Vrbis vt interitum patrias iurauit ad Aras
Annibal, Hiſpanis tempeſtas Punica in aruis
Excita, & Auſoniæ meditatum funera fulmen
Igne Saguntino conflatum diffidit Alpes:

Tunc Trebia, & Traſimene lacus, Ticinus & vndans
Sanguine, congeſtis hæſiſtis corporum aceruis:
Tunc, Romæ vulnus poſtremò ignobile, Cannę.
Millia quot magna Bizātj ex vrbe profecta,
Ipſe ſuo vigiles lateri quos legit ab omni
Militia illuſtres Mauortis laude Tyrannus.
Odryſiæ haud pictus pharetræ timor. Ignea ſæpe
Treicio ex arcu, & multo ſaturata veneno
Tela volant, certamque ferunt per vulnera mortem.
Hoſtes quid memoro, quorum ſunt peruia telis
Pectora, quorum ater ſequitur de vulnere ſanguis?
Tartara pugnarunt, & coniuratus Auernns
Cum Thrace euomuit caſtris emiſſa profundis
Agmina: Memetes vocat in certamina Manes.
Hinc adeò obſcuræ latebroſa per auia terræ
Pugnare Odryſij gaudent, & fœdere iunctas
Admouiſſe acies Erebo. Spelæa recludunt
Immenſa, obducunt quæ nitro, & ſulphure glauco.
Tiſiphone ſtygiæ irrorans aſpergine lymphæ
Peſtem alit occultam. Sed poſtquam eſt fæta procellis
Terra Cyclopæis, ſuperaſque euaſit ad auras
Threicius miles, ſerpunt incluſa per antrum
Semina flammarum: Crepitanti è ſulphure murmur
Tunc exaudiri, tunc nitra coercita vinclis,

Obijcibus fractis, moliri ad ſidera curſum.
Extemplo abruptæ per terræ viſcera torrens
Igneus erupit campo: tormenta, viroſque,
Fulmineoque arcis partem iaculatur in altum
Turbine correptam: colliſa cadauera magnum
Delapſa in terras ſaltē ſunt nacta ſepulchrum.
Non tamen innumeræ gentes, non bellica furta,
Non excita Orco tempeſtas ignea Thracum,
Conſpiranſq; Erebus potuerunt turbine primo
Ilíon Europæ ſubuertere. Troia per annos
Inconcuſſa decem vires infregit Achiuùm
Imperiumque Aſiæ tenuit: Sed quinta niuali
Iam properabat hyems conſtringere compede Oaxem,
Biſque decem fluxere anni, vallata corona
Ex quo Treicia Crete ſtetit ardua totam
Auroram contra, & Regem, nec Pella, nec Hammon
Cui genuere parem: non illi Græcia centum
Auſa ſuos conferre Duces; quota portio namque eſt
Græcia Threícij Imperij, quod maxima mũdi
Pars colit attonita, & quanquam execretur, adorat.
Si tandem viſum Superis euertere Cretam,
Non tenues letho iuuat obieciſſe ruenti
Magnanima virtute moras; quin vincere viſus,
Cui palmam inuidit væcors fortuna ſupremã.
Quot Cretæ proſtrati animam ſub mœnibus hoſtes
Purpuream fudere! Labor laſſauit anilis

Sta-

Stamina quæ truncat, Lacheſim: non fila ſorores
Dædaleis formant digitis, non turbine verſant,
Licia ſcindendi labor omnibus imminet vnus,
Immiſcetque manus operi gauiſa Megæra.
Hæc adeo Thraces ſperabant fata, carinas
Dum fugerent: fruſtra cornu ferale ciebat
Ad vexilla viros: Fruſtra Rex ipſe, probroſas
Delicias tandem perteſus, caſſide crines
Armauit, iam non madidos, non igne vibratos.
Euxini ad littus pelagi trepidantibus inſtat
Fulmineo enſe minax, claſſemq; ſubire coactos
Dum premit, in tumidas quadrupes ſæpe arduus vndas
Irruit. Interea mæſtæ per littora matres,
Threiciæque nurus bacchantur crine ſoluto.
Quis furor, inclamant, Venetos tentare leones,
Queis non incaſſum generoſa inſignia pingit,
Magnanimo Heroum melius qui in pectore flagrat,
Rex nemorum? Lachrymis ſi merſa eſt Creta, ſuperbo
Thracia non gaudet riſu: velut Africa quondam
Si maduit lachrymis, nec tellus Itala riſit.

De Sapientiſſima Virgine
HELENA LVCRETIA CORNELIA.

Epigrammata centum
Scripta Februario menſe Anno 1670.

PRodigium Vrbium Venetias vidimus nunquam. At cuius etiam exteri ad aures non eſt allapſa fama ingenioſiſsimæ Venetiarum Palladis? Illius eximias dotes eo pręcipuè nomine celebrauimus, quòd Incomparabili Viro Ioanni Paulo Oliuæ Societatis noſtræ Præpoſito Generali ſuum Helena librum nuncupauerit.

In Præclarum Opus,

Quod Helena Lucretia Cornelia edidit, & Præſtantiſſimo P. Ioanni Paulo Oliuæ Societatis Iesv *Pręposito Generali, & Pontificio Concionatori dedicauit.*

NVunc melior ſe ſe Pallas ſacrauit Oliuæ;
Si ſacrata olim Palladi Oliua fuit.

Aliud

Aliud.

FVlmine qui Paulum, Eloquij ſed flumine ſacri
Aurea Ioannis qui ſimul ora refert,
Par huic Orator ſit Palladi; Pallas Oliuæ
Par exornando vix erit ipſa, reor.

Aliud.

In eandem ſapientiſſimum Virum, cuius opera perpetuò volutant Veneti Senatores.

DVM Pallas Venetorum oculis oracula cernit
Vſurpata Patrum, Maxime Oliua, tua,
Quantus hic eſt, dixit, cuius præcepta doceri
Gaudent, qui Europæ fata regunt, Proceres?
Huic noſtri iuuat ingenij monumenta dicare.
Et fuit hoc dignum Pallade conſilium.

Aliud.

PAllade quis melius laudes cognoſcit Oliuę?
Ergo ex te, Virgo, quærere pauca libet.
Diuinæ quæ laus Oleæ te allexerit, illi
Ingenii offerres vt monumenta tui?

Stir-

Stirpis an Eximiæ decora inclyta? an vltima terræ
Quos tendit ramos ad latera, & pelagi?
An, quo contingit Cœleſtia Sidera, vertex?
An quæ alijs ſerta, & balſama ſuppeditat?
Huius decerpunt fauſtam de fronde coronam,
Qui cum Rege ineunt fœdera Sidereo.
Quæ parit hæc Arbor, ſtygia caligine merſis
Sueuere æternum balſama ferre diem.
Atque laboranti lethali vulnere cordi
Cœleſtem hæc oleo detulit Arbor opem.
Qnæ reliquas vincat laudes, ediſſere Pallas?
Vníca nam ſe ſe hæc vincere Oliua, poteſt.

Aliud.

QVòd Diuina ſibi Sapientia legit Oliuã,
Quem Cœli donis omnibus imbueret,
Priſca, Oleam, dicunt Secla arriſiſſe Mineruę.
Mentitur quanuis fabula, vera docet.
Hinc melior Pallas, falſi ſub imagine verum
Dum videt, Ingenium ſacrat, Oliua, tibí.

Aliud.

VT docta Oliuæ conſecrares munera,
Ipſa tibi Pallas dixit? Ipſa at Pallas es.

In idem Opus Sapientiſſimo Viro conſecratum.

SApientiæ argumenta plurima hæc mundo
Dedit ſuæ Virago: nec ego poſtremum
Hoc arbitror, quod Principi illa Sapientum
Dicauit animi nobilem ſui Partum.

Aliud.

ERgo vel Pallas magnum veneratur Oliuã,
Quem ventura olim ſecula cuncta colent?

Aliud.

HÆC fœminarum eſt virgo prodigium, vt virùm
Prodigium Oliua eſt, Ingenj fętum ſui
Cui conſecrauit Helena. Vt hæc virgo ſapit!
Haud legere melius potuit, haud melius legi.

Aliud.

DOdonæ Quercum fundens oracula Oliua
Exuperat, laurum & vincit Apollineã.
Illius eloquium mundus miratur: eidem
Hinc melior Pallas deuouet ingenium.

Aliud.
In idem Opus ab Helena editum, & alteram Helenam Homeri verſibus celebratam.

LÆdeæ pariunt aliena volumina famam,
Huic ſua. Quæ melius viuet in ore virú:

Aliud.

SI Venetos fermè Proceres ſtirps Regibus æquat,
Reginis par eſt nobilitas Helenæ:
Hæc animi monumenta ſui tibi ſacrat, Oliua,
Cui pariter magnæ eſt nobilitatis honor:
Non ſemel Heroes, quorum es de ſanguine cretus,
Imperio Patriam continuere ſuo.
Hinc Regale, Helenæ ſunt docta volumina, munus,
Quod Regum exhibeant, excipiantq; manus.

Helenę cum Cornelijs Heroibus Comparatio.

HEroum vincis Populum, Cornelia, quorum
Ducis ab egregio ſanguine grande decus.

Odriſios armis illi fregere Tyrannos;
Claſſibus at freti; ſuppetijſque virùm.
Sed tu Palladiam ſubijſti interrita arenam,
Viciſti innumeros fœmina & vna viros.
Nec rarò ſorti debetur bellica laurus:
Nil ſorti debet laus tua, nil ſocijs.

In eiuſdem Ingeniũ, & Caſtimoniam.

MOrtali exemptæ quoniam ſunt carcere; Mentes
Secreta agnorunt omnia, Sidereæ:
Te penè exuuijs mortalibus eximit alma
Virginitas; hinc mens eſt tibi ſiderea.

In eandem Doctiſſimam virginem.

FRangeret ingenij vt faſces, faſtumque virilis,
Hanc Natura Viris omnibus oppoſuit.

Eadem Helenę Lacenę pręfertur.

MOeonio haud decuit celebrari à Vate Lacænam:
Dignus, qui hanc Helenam pangeret, ille fuit.
Par fuit, à cæco celebrari vate Lacænam:
Qui laudet Venetam, haud lumine captus erit.

Aliud

Aliud.

FLeuit Alexander, tumulum cum vidit Achillis,
Quem tuba Mœonij Vatis ad aſtra tulit:
O fortunatum, dixit, quem ſubtrahit vmbris
Aeterni vatis gloria tænareis.
Lædeæ hæc tumulo inſultaret virgo; ſuperſtes
Perpetuò meritis, namque erit illa ſuis.
Vatibus haud eget hæc Helene, ſed quærere Vates
Ex illa debent nomen, & ingenium.

Aliud.

ARgolicæ vitam Vates tribuere Lacænæ:
Vatibus hæc poterit ſed dare Virgo ſuis.

In eandem Helenam, A qua monſtratos fuiſſe Priamo Duces Græcos, narrat Homerus.

ARgolicos Priamo Reges monſtrante Lacæna,
Dardanios fertur conticuiſſe Duces.
Attoniti Sophiæ Proceres pendere feruntur,
Naturæ fontes te reſerante Sacros:
Et pandente tui diuina arcana Tonantis,*
Et quos Caſtra Erebi contremuere Duces.

* *Diſputante de Deo, & de Angelis.*

In eandem Helenam.

MEndaces Helenæ laudes augete Poetæ:
Ad Venetæ plauſus ſufficit Hiſtoricus.

Aliud.

PRobroſus Lædeæ ortus; probroſa per æquor
Eſt fuga, ſeu Theſeum, ſeu Paridē ſequitur.
Nec formæ laudandus honor, quæ Pergama flammis
Inuoluit, Graios perdidit atque ſuos.
Hæc Aſiæ fax Tiſiphone, Europæq; flagrãtis,
Diuino Vatum fulgeat ingenio?
Aonidum caſtos infamis adultera plauſus
Si referat, caſtas quis putet Aonides?
Muſarum poſt hac maculas delebit Apollo,
Si Venetam cantu tollat ad aſtra Helenam.
Regius huic ortus. Quis te, Cornelia, plauſu
Gens poſſit, Patriæ quis celebrare Duces?
Tercentum fluxere anni, Cornelius ex quo
Supremo Venetis præfuit imperio;
Quis Martis decora, & laudes ornare togatas?
Quis dextræ, & cordis fœdera clara queat?
Atque tuas, Helena, æquabit quis carmine dotes?
Siue animi florem concinat innocui?
Siue tui canat ingenij ſuper aſtra volatum,
Siue ornet radios indolis eximiæ.
Si ſeges eſt, vbi Troia fuit; regnabit in vndis
Per-

Perpetuò Adriaci Vrbs Arbitra Virgo Maris.
Ferales Troiæ flammas Lædea: perennem
Lucem Helene Patriæ detulit iſta ſuæ:

De Helena Cornelia Ad Apollinem.

AGgredior quoties Helenam cantare, coercens
His me, Phœbe, ſoles increpuiſſe notis.
Deteris eximias tenui cur carmine laudes?
Par Helenæ meritis vix lyra noſtra foret.
Ipſa ſuas tantùm celebrare Poetria dotes
Poſſit, cui decorat laurea noſtra comas.

Iudicium Paridis.

SI Paris hanc Helenam prope Pallada ſorte videret,
Arbitrio Paridis Cypria victa foret.

De hac incomparabili Virgine certamen.

AStræa,& Pallas certaſſe, Nouemq; Sorores
Dicuntur: pugnæ cauſa Virago fuit.
Illius excolere ingenium nam quęlibet ambit,
Atque illi gazas exhibuiſſe ſuas.
Cauſarum Pallas cęcos euoluere nexus,

In eiuſdem Vatis ſententiam.

FOeminenum inſtabile ingenium eſt? Sapientia, ſemper
Docta tuis Helene pendet ab vberibus.

In Helenam
De fæminea inconſtantia triumphantem.

PErpetuo addicit ſtudio, noctesque, dieſque
Docta Helene conſtans propoſitiq; tenax.
Vt Veneta vrbs ſuper inſtabiles mirabilis vndas,
Stas Helene ſupra fœmineum ingenium.

Præfertur Helenæ Argiuæ.

SI Lædea Helena Europamque, Aſiamque duello
Miſcuit, hęc lites ſuſcitat ingenij.
Et ſi caſta minus foret hæc, ad prælia mundum,
Tantum illi præſtat, digna mouere fuit.

Aliud.

LAedeam ſi Helenam excoluit Venus, hanc ſibi Pallas
Eligit, & donis imbuit alma ſuis.

Aliud.

QVantum animi præſtant dotes formæ oris inani,
Lædeæ tantùm famam Helenæ hæc ſuperat?
Quin forma eximia, & pudor, & miracula mentis
Si ſolam vincunt purpuram, & oris ebur;
Par eſt, à Veneta vt vincatur fama Lacænæ,
Maior & hanc Vatum plauſus ad aſtra ferat.

De Helena Cornelia.
Ad Palladem.

SI te inter Diuas retulit ſapientia, Pallas;
Te maior poſthac audiet hæc Helena:
Cui formæ diu iuus honor, diuina pudici
Maieſtas oris, cordaque digna Deo,
Cui caſtum omnigena exornat ſapiétia pectus,
Hanc doctrinarum quis neget eſſe Deam?

In eiuſdem Virginis
Eximium Patrem.

PAllada te dicunt omnes, ſtudioque iuuandi
Inſignem Patrem quis negat eſſe Iouem?

Reſpicitur ad dictum Diui Auguſtini inſultantis Aethnicis, eo quod inter ſidera locum Venus habeat, Minerua non habeat.

Ad Helenam.

SI te priſca olim peperiſſent ſecula, Pallas
Cępiſſet ſtellas inter habere locum.

Ad eandem.

ESt tibi nobilitas Iunonis, forma Diones:
Eſt pudor, & doctæ Palladis ingenium.

De eiuſdem
Helenæ Corneliæ Eloquentia.

FAcundos olim peperit Cornelia Gracchos,
Hæc eſt eloquio prodigioſa ſuo.

In eandem.

PVgnarunt Veneti Regnorum in mille Tyrannum:
Pugnat in innumeros fęmina & vna viros.

In eiuſdem Prodigioſam ſcientiam.

ATtonito ſemper Veneti miracula mundo
Oſtentare, armis, ingenioue ſolent.

In eandem De vniuerſa Theologia, & præſertim de Deo diſputantem.

ESſe Deum, quanuis ceſſarent cætera, doctæ
Conſtaret magno è Virginis ingenio.

De eadem Virgine Diuini Vërbi Incarnationem propugnante.

VIrginis in gremio ſumpſit Sapiẽtia corpus:
Tunc ſapiens didicit Virginis eſſe pudor.

Ad eandem. De Angelis differentem.

PAnditur à te dum Mentis natura Beatæ,
Lapſa ex Aligerum crederis eſſe choro.

In eiuſdem diſputationes De Iuſtitia.

VIrginis Aſtrææ, Virgo, dum iura tueris;
Ipſa Aſtræa tuo ex ore locuta fuit.

In *eandem* Helenam
Preſtantiſſimi ſui Patris decus, & delicias.

TOrmētum capitis Patri fuit altera Pallas:
Hæc eſt vita ſuo, deliciumque Patri.

Aliud in illud:
Gloria Patris filius ſapiens.

GLoria ſi Patris ſapiens eſt filius; an non
Gloria, tàm ſapiens filia, maior erit?

De eadem.
In *Neptunum olim hoſtem Palladis.*

NEptuni eſt Veneta Vrbs; aliam ſua in vrbe Mineruam,
Infenſæ opponat quam tibi, Pallas, habet.

In eandem
Venetorum Palladem.

DVm pacis florent oleæ, florere Mineruam
Par fuit: æternùm floreat hæc olea.

In eundem
Muliebris ingenij Phœnicem.

SI fuit ingenij Phęnix aliquando virilis
Picus, fęminei hanc, arbitror, eſſe chori.

Venetię Athenis præferuntur.

DOctrinà poſthac Veneta Vrbs ſuperabit Athenas,
Cui ſua fert maius doctà Minerua decus.

Mirabilis Helenę Patria pręfertur
Troiæ, qua digreſſus.
Antenor Venetorum Dux.

DArdaniæ Veneta Vrbs genus alto è ſanguine ducit:
Olli Helena excidium, huic laurea ſerta tulit.

De

De Caſtore, & Polluce Spartanæ Helenæ fratribus.

SI Lædeæ Helenæ ſunt verſi in ſidera fratres,
Hæc ipſa eſt ſidus, Phębus & eſt Helena.

Ad Helenam Corneliam, Cuius ductum ſequuntur Argonautæ Sapientiæ, ſpretis Lacenæ Helenę fratribus.

AVrea qui quærunt doctrinę vellera, lucem
De te, contempto Caſtore, Virgo, petent.

Ad Helenam Corneliam.

NEc quarta es Charitum, decima es nec Muſa; ſed omnium
In te Muſarum ſunt decora, & Charitum.

De eadem.

QVæ Paride olim certarunt ſub Iudice formæ,
Diuarum laudes hæc habet vna trium.

In eiuſdem Cæleſte Ingenium.

ADdere te ſi olim comitē dignabere Muſis,
Diceris poſthac, arbitror, Vranie.

Ad

Ad Romam
De eadem Helena.

NVlla in laude tibi Veneta vrbs eſt, Roma, ſecunda;
At quæ vnquam talis fœmina in vrbe fuit?
Cogitur Oceano quantum decedere Tybris,
Tantùm Helenæ quæuis fœmina Romulea.
A Venetis gaudet per te, Cornelia, vinci
Roma; tuum Latia nam fluit vrbe genus.

Eiuſdem Helenæ
Cum ſua vrbe comparatio.

REgina Adriaci Virgo te Virgine gaudet:
Prodigium Vrbium ea eſt, fœminei ipſa chori.

De eadem Helena.

VT natura daret ſpecimen, quid fœmina poſſet,
Edidit hanc: partum vidit, & obſtupuit.

In Helenam
Viros in erudito certamine ſuperantem.

ERudiat quod docta viros hæc fœmina, quiſquam
Miratur; ſemper fęmina nos docuit?

Nam-

Namque Minerua viros melioribus artibus omnes
Imbuit, egregius Pieridumque Chorus.

Ad eandem Helenam.

QVāuis magna tuæ narret miracula mẽtis,
Imminuit laudes inuida ſama tuas.

In Gentilitium Helenæ Inſigne, Quod aureo, & viridi colore diſtinguitur.

AEthere ſol eſt, qui Parnaſſi in vertice Apollo:
In Monte huic Viridans, Aureus Axe color.
Sol Charitum es Virgo, Muſis dominaris Apollo;
Hinc tua condecorat ſtemmata vterque color.

Ad eandem Helenam Omnibus humanis, & diuinis prærogatiuis illuſtrem.

EXhibet humanas Viridis color, inclyta Virgo,
Aureus æthereas pingit opes animi.

In

In idem Inſigne.

QVi Gentilitium pingunt tibi ſtemma colores,
Dant, Helene, cordis regia ſigna tui.
Spem decorum ſignat Viridis, Remq; Aureus: ipſæ
Sunt Res, ac Spes in te, inclyta Virgo, ſimul.

Aliud In idem Inſigne.

VEr laudum ſignat Viridis color, Aureus Æſtum:
Flore ipſo annorum Meſſis adulta viget.

Ad Helenam, Matheſeos ſcientia ornatam.

FLores arte, Syracuſius qua vertere Terras
In gyrum voluit, & Maria alta Senex:
Et melius præſtare potes; nam te ſuper orbem
Euehit, edoctus tendere ad Aſtra, Pudor.

Adriæ Concio Ad ſuas Nymphas De Helena.

VAdite, quà Rhodanus ſecat arua, & Bætis, & Iſter,
Æquoreis Nymphis Adria lætus ait:
Can-

Cantu Helenam celebrate meam : Tritonis anheli
Concha tuas æquet, garrula fama, tubas.

De Helena Cornelia Huiuſce Sæculi Prodigio.

PRodigium eſt Helene decorans hæc ſecula, quodque
Omnia concelebrent Secula Prodigium.

I*n Cæleſtem Helenæ* I*ndolem.*

FLos animi innocui, pudibunda modeſtia frontis,
Mentibus exæquant ſidereis Helenam.

I*n eiuſdem vitæ integritatem, & eximiam ſapientiam, Quæ penè cælitus infuſa videtur.*

PRodigioſa Helenæ eſt doctrina? At moribus illa
Hæc etiam Sanctis munera promeruit:

I*n Helenam Corneliam Venetorum* P*alladem. Luſus in aliam Mineruam, quæ nata dicitur ex cerebro* I*ouis.*

E Coſta formata olim fuit Eua virili:
Quis neget hâc ortam Pallada de Capite?

In eiuſdem præcocem ſapientiam.

TAnta Helenæ teneris ſapientia fulget in annis?
Vix orta in lucem Pallas adulta fuit. *

Iouis, & Neptuni de Helena certamen.

CVm Ioue Neptunus fertur certaſſe: Superbus
Pallade erat genitor Iupiter, atq; Helena. *
Cui Neptunus ait: Veneta eſt mihi Virgo, Mineruam,
Quæ ſimulatq; Helenam dotibus exuperat.

In Helenam Corneliam.

INſtituit pro Helena Cypris cum Pallade pugnam.
Nunc ſpondere Helenam, & Pallada, idem fuerit.

In eiuſdem modeſtiſſimam formam.

CAndida Cęleſtis rapit alta ad ſidera vultus
Purpura, quæque ſacris lux micat ex oculis.

* *Palladem adulta ætate natā fabulātur Poetæ.*
* *Pallas, & Helena Iouis filiæ ſunt habitæ.*

In eruditam illius pugnam.

FVlminei ad ripas quæ Thermodoontis Amazon
In pauidos tonuit pernicioſa viros,
Adriaci decertanti prope littora ponti
Concedit palmam, docta Minerua, tibi.
Quãtum animus vincit dextrã, victoria tantum
Ingenioſa tuum, magne Gradiue, decus.

In eiuſdem Egregiam Poeſim.

QVi te non laudat Vates, non ille Camenas
Exornat; Muſas namque, Helena, æquiparas.

In eiuſdem,
Quæ omnem commendationem ſuperant, prærogatiuas.

QVi te commendat, Vates nequit eſſe: Poetæ
Augent, ſed laudes deterit ille tuas.

De Adriæ Nymphis Helenæ plaudentibus.

VItales Helene cum primùm in luminis auras
Prodijt, æquoreæ ſubſiliere Deæ:

Quæq, tuos curſu exercent, Pater Adria, fluctus,
Quæ Tybrim, & Bætim, quæque ſecant Ligerim.
Namque animo ſenſere decus, quod Patria magno
Vrbs trahet egregiæ filiæ ab ingenio.

De Adriæ nomine.

ADria ni Superi pelagi iam nomen haberet,
Duceret, ex quo Helena eſt illius ingremio.
Nam tanto tumidus partu maria omnia ſupra
Tollitur, Vrbs Vrbes vt ſuperat Veneta.

I*n mirabilem Helenæ Patriam.*

VIncere naturam Veneta Vrbs conſueuit; & ipſam
Naturam hinc Helene vincere docta poteſt.

I*n eandem Helenam ingenio volantem.*

TE quanuis ſuper aſtra ferat, poterit tibi, Virgo,
Nullus adulari; nam ſuper aſtra volas.

Helena I*ngeniorum Phœnix.*

ASſyrius rarò Italiæ ſe præbuit ales;
Phęnicem Mundo ſed parit Italia.

Aliud

Aliud.

SEcula nomen habent: Helene queis venit in auras
Phęnicis dici ſecula poſſe, reor.

Lucretiæ Nomen Helenæ Corneliæ fuiſſe, latuit Authorem, dum alia Epigrammata ſcriberet.

MVlta feror de te ſcripſiſſe Epigrammata; nomen
Si nec cognoram, docta Virago, tuum?

Aliud.

QVod Lucretia cederet Pudori
Palmam, Virgo, tuo, probè ſciebam;
Ignotum mihi ſed fuiſſe miror,
Quod Lucretia & ipſa diceréris.

In idem Lucretiæ Nomen.

EX Vrbe eiecit Lucretia caſta Superbos,
Namque eius Brutos egit ad arma cruor.
Ex Orbe aſt omnes Lucretia Virgo Superbos
Eijcis, aut ſaltem detumuiſſe doces.
Nā Generis, Formę, Ingenij vel dote Superbus
Qui tua ſuſpexit lumina, nullus erit.

Aliud

Aliud.

NOn hæc Tarquinios metuit Lucretia Reges:
Ipſa Superborum at ſubruit Imperium.

Aliud.

QVòd fruſta abiecit temeratō corpore vitã,
Maiori & ſcœlere in funera ſponte ruit,
Cur Lucretia ſit ſpeculum Romana pudoris?
An Stygijs maculas abluit illa vadis?
Forma pudicitiæ Veneta eſt Lucretia: formam
Ex illa poſthac ſecula cuncta petent.

In *vtrumque*
Helenæ, & Lucretiæ nomen.

FOrma Helena es, pluſquam Lucretia caſta Pudore;
Hinc de Fonte Sacro nomen vtrumq; trahis.

In eandem Lucretiam
Palladio in Regno dominantem.

SI Reges pro te pepulit, Lucretia, Brutus;
Palladio hæc omnes pellit ab Imperio.

In Helenæ, & Lucretiæ nomen.

AN non inſtituunt Helena, & Lucretia pugnam?
Hæc caſta, impuris moribus illa fuit:
In te ineunt fœdus; nam quæ pugnare videntur,
Non ſine prodigio conſociare, tuum eſt.
Canities mentis pugnat, iuuenilis & ætas;
Nec rarò pugnant Forma, Pudorque ſimul:
Pugnant, multiplici quæ flumine pectus inundant,
Doctrinæ: alterius deterit altera opes.
Excelſum Ingenium, ac demiſſa Modeſtia frontis:
Indolis auguſtæ lux, pauiduſque rubor:
Hæc in te miro conſpirant fœdere, Virgo.
An non te magnum dixero Prodigium?

In Lucretiam Romanam D. Auguſtini Dilemma.

INſonti ſibi ſi peperit Lucretia lethũm,
Flagitium admiſit maius adulterio:
Aſſenſum Arunti ſi præbuit, aurea Famæ
Cur ergo immeritam buccina ad aſtra ferat?
Prodigium formæ Veneram, Sanctiq; Pudoris,
Quam pro Romana, fama, loquaris, habes.

Aliud

Aliud in Lucretiam.

LIbertas Romana tuo, Lucretia, fato,
Ex Vrbe exactis Regibus, orta fuit:
Libera ni Patria eſſet, libertatis amorem
Hæc potuit Patriam Virgo docere ſuam:
Namque exoſa virum eſt, legeſque exoſa iugales:
Illius & nulli ſubditur ingenium.

In Helenam Lucretiam Corneliam Græcæ linguæ peritiſſimam.

ELoquitur Grçcè, medijs ceu nata Mycenis.
Hoc tantùm hæc Helene nomine Græca fuit.

Aliud.

HAud tibi Græca fides, haud Græca audacia: ſermo
Eſt tibi Graiugenum, Copia, & Ingenium.

Incomparabili Virgini Helenæ Lucretiæ Corneliæ hæc Epigrammata deuouemus. Parodia ex Catullo.

DIſertiſſima Virgo fœminarum,
Quot ſunt, quotque fuere, quotq, fama
Illuſtres alijs erunt in annis,
Tuis plaudere laureis coronis

Igno-

Ignotus tibi, cognituſque nulli,
Geſtit peſſimus omnium Poeta,
Tanto peſſimus omnium Poeta,
Quanto tu optima es omnium Camæna.

Helenę Corneliæ Venetorum Palladi centum hęc Epigrammata conſecramus.

SEcula ſi noſtram vidiſſent priſca Mineruã,
Grex illi addictus procubuiſſet humi.
Illius exundans Hecatombe haud imbuit aras?
Centum illam ſaltem carmina ad aſtra ferãt.

DEIPARÆ VIRGINIS

Occurſus Filio ſuo Caluarię Montem aſcendenti Elegia.

Dicta à Ioſepho Hache in Claſſe Rhetoricę ſexto Kal. Aprilis Anno 1670.

DVM trabe quadrifida preſſus Regnator Olympi
Ad Moriæ colles anxius vrget iter.
Ecce ſuo Genitrix occurrit pallida Nato,
Agminaque intrepidus barbara rupit amor.
Vt vidit gelido rorantes ſanguine crines,

Inſeſſa & dumis tempora ſacrilegis.
Vidit vt ora, ſuæ tantum agnoſcenda Parenti;
Mutatæ reliquos nam latuere notæ;
Diriguit, velût afflarunt quem fulminis alæ:
Vt Moriæ cautes, marmor & ipſa fuit.
At ſuus illam oculis fugitiuæ ad munera vitæ
Sol reuocat: fuerat mortis origo ſuæ.
Vita redit; tamen vt ſegetes aquilonibus actas
Vibrauit ſubitus pallida membra tremor.
Hunc te, inquit, video Fili, Rex Ætheris alti?
Hunc ego te? Tantû crimina pondus habêt?
Sic tua fulmineis ſulcarunt membra flagellis,
Cinxerunt diris tempora ſacra rubis?
Qui Cœlum torques (quantum heu mortalia poſſunt
Crimina) ſub duro pondere ſæpe labas!
Cur ò funeſto noſtrum latus addere trunco
Non datur, & Nato ferre Parentis opem?
Cur nimis in Celum it ramis audacibus arbor,
Atque oculos prohibet claudere poſſe tuos?
Parte mei meliore cadens haud funera poſco:
Quantum ò lethalis vita doloris habet?
Mors producta iuuat; nam qui mihi cunque dierum,
Eſſet ſupplicij terminus ille mei:
Dixerat. Extinguunt gemitus luctantia verba,
Et lachrymæ: ſed non mens generoſa cadit.
Filius at contra, quanquam lenire dolentem
Gaudeat alloquio, haud triſte moratur iter:
Et, Genitrix, tantùm dixit, dilecta valeto:
Addidit aſt oculis plura diſertus amor.
Defeſſum, inque ſuo lapſantem ſanguine lictor
Mon-

Montis ad abrupti culmina fune rapit.
Iamque arbor funeſta humeris impoſta Tonantis
Ipſa etiam Matri cernere terga vetat:
Tūc, veluti cum Lunā inter iacet inuida tellus,
Solemque, amiſſo Cynthia fratre perit,
Sic viduata ſuo Genitrix pulcherrima Nato
Palluit, alterius funere viſa mori.
Aſt obiecta oculis magni portenta Theatri
Lætitia exhilarant ſaucia corda breui.
Tempeſtate furens ceu cū ruit arduus Aether,
Quandoque abrupta ſidera nube patent:
Nam qui diuino manans è corpore ſanguis
Pulchrius id Cœli lacte colorat iter,
Nobile ver Mariæ parit. Illi viſa roſarum
Semina Diuini Sanguinis eſſe notæ.
Purpurea hic vnda, gutta lapis ille ſuperbit,
Liliaque hinc, viola hinc tollit ad aſtra caput.
Sanguineo veniunt miri de ſemine flores,
Ac properant Matris gaudia luminibus:
Et qnoniam multis Caluaria mortibus horret,
Aridaque innumeris oſſibus albet humus,
Viſa ſuper nudi prægrandia verticis oſſa
Senſim delabi ſanguinis vnda ſacri:
Illa immortalem ſubitó ſenſere vigorem,
Deque ſuo exultim proſiliere loco:
Ecce nouus ſubit ora color, ſubiere iuuentæ
Purpureæ flores, & rediuiua caro.
Prodigijs defixa hærent dum Virginis ora,
Plurimus Aligerum deſerit aſtra chorus,
Vt legat æthereos fælici è culmine flores,

N 2 Qui

Qui Mariæ ante oculos cum legerentur, ait.
Aſpice, quos ſuſus quōdam cruor inſeret aſtris
Heroes fidei, virgineique chori,
Floribus his picti viuunt. Viden? Igneus Adæ
Ora colorauit penè renata vigor.
Monte ſub hoc hominum genitor tot ſecla quieuit,
Putria nunc ſapiens expulit oſſa ſolum,
Diuino vt melior fluat Adæ è ſanguine vita,
Poſtquam Adæ fælix abluit oſſa cruor.
Aligeri hæc Mariæ. Tunc, quas legere, cruoris
Guttæ ſidereis erubuere notis.
Iamque cruor, Stellis, & Apolline pulchrior ardet
Irradians vultus, Aligerumque manus;
At poſtquam hæc oculis Virgo fugientibus hauſit,
Vrget ad infauſti culmina collis iter.
Labitur interdum. De Cœlo lapſa per auras,
Tunc illam ſumma ad ſaxa quadriga rapit.
Cætera, Apollo, ſile. Pro te dixere ruentis
Naturæ gemitus, & ſine luce dies.

Ad

Ad Eminentiſs. Principes S. R. E. Cardinales, dum Comitia pro renunciando Pontifice Maximo haberentur. Carmen.

Dictatum petentibus Ex tempore Diſcipulis pro argumento ſcribendi, ac deinde dictũ à Gabriele Perla Sem. Rom. Conuic. in Claſſe Rhetoricæ Tertio Kal. Aprilis Anno 1670.

COncilium Heroum, Regum cui priſca Senatum
Haud Vrbs contulerit, terræ licet, & maris alti
Finibus imperium, famamq; æquaret Olympo?
Cui neq; concilium mendacia Græca Deorum
Prætulerint, magnus meritò quod ſpreuit Homerus,
Sidereus naturæ oculus, ſi lumine captus;
Quanuis hinc ſpargens lethalia tela ſederet
Iupiter, hinc Mars bellipotens, hinc cæſia Pallas,
Hinc Iuno, hinc piceus dextrà Cyllenius ales.
O pulchra in terris aulæ Cœleſtis imago,
Purpurei Proceres, quibus haud Sydonia concha,

Diuini aſt Agni ſanctus cruor imbuit oſtrum:
Nutantis mundi veſtræ ſpes nititur vrnæ.
Tergeminū díadema, & ſceptra vicaria Cœli,
Magnanimo deferte viro, qui nauita ſacro
Incumbat Clauo vigil, & Cœleſtia quærat
Littora perpetuis oculis: quem lethifer annus,
Bellorum & victi ſcopuli, ſyrteſque doloſæ,
Æqualem primis Petri Ratis eſſe Magiſtris
Monſtrent, quos fœlix tempeſtas intulit aſtris.
Moribus ille ſui pateat Collega Tonantis,
Axem humero torquens, grandi nec pondere læſus:
Olli æquo pœnas, & dona examine librans,
Regnorum & nutrix donet Prudentia claues
Aſtrorum. Pietas fronti Regina coronam,
Atque humeris clamydem aptet Candor: Ab ore loquentis
Aurea regali facundia flumine currat.
Cernitis vt Mauors, Fortuna, & Rector Auerni,
Faucibus & centum quæ ſibilat hæreſis hydra,
Orbem agitent? Iam penè horrens tuba verberat aures,
Iam propius volitant acies, atque horrida clangunt
Cornua: feralis vix non hinc adſonat Echo?
Pulueris extolli nimbos, latèque videmus
Currere purpureis vndantes fluctibus amnes.
Cretenſes totum clades heu ſpargere in orbem
Thrax ambit: geminum væcors ſibi vindicat Axem.
At veluti Afrorū poſtquam Capitolia clāgor
Concuſſit, magnus tantis é cladibus vltor
Exar-

Exarſit: pulſum Annibalem, fractumque ſub
ipſis
Mœnibus Italiæ excidium Chartaginis altæ:
Atque ipſam, Lybicas quæ latè ſueuit in vrbes
Regnare, euerſam quis neſcit? & æmula Romæ
Mænia diſiecta, hoſtilis ludibria aratri?
Exoriare aliquis noſtris è cladibus vltor,
Qui Thracem Annibalem frangas, vbi Boſpho-
rus ambit
Regalem Bizantj vrbem indignantibus vndis.
Ecquis Chriſtiadum ferales Scipio clades
Vlturus flagrat? florentem an Gallia Regem
Viribus, atque auro, & victricis robore gentis,
Ac vere æratis, Diuorum & Numine fretum
Armat in excidium Odryſij, funuſq; Tyranni?
Frangere Biſtonium vel tu conſueta tumorem
Haud prohibes Magnum, Generoſa Polonia,
Regem
Exultantem armis in Thracem irrumpere? Vel te
Europæ ſpes, & columen, Leopolde, labantis,
Hiſpani adiutum fraterno robore Regis,
Threicij ardor agit pius in penetralia Regni?
Seu potius cuncti certatim irrumpitis, atque
Agmine multiplici vrgetis? Iam turgida cornu
Cinthia vę totum minitatur creſcere in orbe.
An poſtquam Thraci Creſſus famulatur Oaxes,
Et Tagus, & Rhodanus, mæſtis & decolor
vndis
Seruiet Odryſio Rhenus, populiſque ſubactis
Heſperię metuent hi Thracum inſignia mõtes,
Et fluet infrendens captiuo flumine Tybris?

Europæ frænare queat qui fata, Parentem
Chriſtiadum legiſſe Sacri ſit cura Senatus.
Regum iras, aurum, curas, & moribus inſons
Ipſe ſuos armet contra agmina barbara mores.

DE B. ALOYSIO GONZAGA
Societatis Ieſu Carmen

Dictum à Gabriele Perla Sem. Rom. Conuic. In Templo S. Ignatij Pridie Kalendas Iulias Anno 1670.

FLos iuuenum, noſtri decus, & lux alma vireti,
Ante diem terris ereptum turbine fauſto,
Te quis, Aloyſi, Cœli traduxit in hortos?
Raptorum chorus Aligerum, viridaria terræ
Sidere ſi pulchro viduaſtis; dicite, flori
Huic datus anguſti fuerit cur terminus æui,
Dicite, & hæc ſaltem fuerint ſolatia raptus:
Tuque adeo, ſi mortales inuiſere cætus
Interdum iuuat, huc patrijs delapſis ab aſtris
Dexter ades, Gõzaga: tuas dum carmine laudes
Ingredimur, ciuerique ſacro dant thura Quirites.
Audimur. Quatit auratas ipſe aureus alas

Aera

Aera per, Templumque ſubit. Si lumina ferre
Siderei nequeunt radios, & ſpicula vultus;
At certè exultantem animum mihi viuida
imago
Impulit. En tacitus quanuis latet, hìc bonus
aures
Præbet Aloyſius vati. Vix luminis auras
Attigerat Gonzaga, ſacri cum fluminis vndæ
Abſterſere animo primæui crimina Patris.
Cœleſtes Charites puerum excepere: liquenti
Lauere ambroſia, totumque per oſcula Cęlum
Infudere animo, & mortalis tædia vitæ.
Vidit vt hæc Diuinus Amor, nã forte puelli
Adfuit ad cunas: quàm fauſto Numine matris
Triſte puerperium diſſoluerit: Æthera mente
Hauſerit, ante inopis premeret quàm limina
terræ;
Hic meus, inquit, erit, iam nunc quem ſeligo,
Alumnus.
Fortunate puer? teneros Deus imbuit annos:
Hinc te non, hominum exercent quæ pectora,
peſtes,
Laudum amor, aut gazæ, aut cæcæ mala gau-
dia mentis
Corripient. Video celeri ſuper æthera penna
Enantem, liquidique ſuper latera ardua
Mundi.
Hinc ſceptra exuperas animis, almaque bearis
Pauperie, atque vltro gaudes parere iubenti,
Cęleſtemque agitas mortali in corpore vitam.
Sed non longa tibi carpetur temporis ætas:
Iamdúdum optaris Superis, quos, te ſine, picto

Vix iuuat in prato æternæ indulgere choreæ.
Quot caſus, quotper ſanctæ diſcrimina vitæ
Ibis, Aloyſi? Aſt adero, teque ocyus omni
Eripiam fato, donec non impare ſoluam
Funere, & optanti reddam te munus Olympo.
Dixerat; vtque legat mortis genus, aliger Aulã
Intrat Amor, magni quam Prouida Cura Tonantis
Vndique chryſtallo cinxit. Quæcumque ſub vmbris
Nos obducta latent, vitrũ immortale recludit,
Hìc viuunt abſens ſimulacra imitantia verum.
Si quidquam diſtare poteſt conclauibus almi
Numinis: & rerum formas hæc vincit imago,
Exhibet arcanos nam mens Diuina colores.
Hæc Superi, quoties labentis ſ.cula Mundi
Præcepiſſe animo cupiunt, abſtruſaque fata,
Tecta petunt. Speculi hinc miro ſplendore coruſcat
Pictus Aloyſius, primum qui claudere luſtrũ
Dum trepidat, iam tela manu puerilia fundit;
Nam Genitor Tunetum contra, ſcopuloſque natantes,
Harpyaſque maris Pyratas, legit ab omni
Inſubria robur Martis, ſecumqur ferocem
Natum in bella trahit; Paruo donauit habendũ
Arcumque, & pharetram: galea caput ille decorus,
Atque trophea gerens clypeo cœlata ſuorum,
Gonzagas omnes animo hauſerat. Ergo curuli
Tormẽto, ſummæ quod erat pro mænibus arcis,
Inijcit æratoſque globos, & puluerís vrnam
Sul-

Sulphurei : grauido infauſtum mox ſubijcit ignem,
Nil trepidans. Puer ah fortiſſimè, ahenea moles
Fętu diſſiliens nimio, inſperata rotarum
Siue recedentum fuga te collidet. At ipſe
Feralem amoueam currum, quò innoxia peſtē
Mobilis Ætna vomat. Non his tu digne perire
Fulminibus, queis mortales imitātur Olympū:
Sed iaculis, noſtri quæ neruus torſerit arcus.
Haud procul oppoſito in ſpeculi vídet æquore fluctus
Ticini tumidos, pluuia qui forte ruenti
Creuerat inſultans ripæ: Gonzaga per vndas
Currum agit; at pleno fluuius ſe ſe obijcit alueo,
Quadrigam & rapido contorquens vortice, tandem
Diſtrahit in partes: prima eluctatur, equorum
Quam rapit alipedum vicina ad littora feruor.
Alteram, Aloyſius qua ſedit, præcipiti vrget
Vnda fuga. At non extinguent incendia, ſaxo,
Quæ pueri flagrant in pectore, fluminis vndæ,
Inquit Amor; fauſtis namque illum amplexibus arbor
Frenabit, fluuio quæ fors tranſuerſa iacebit:
Argento aut fluctus ſolidabo, aut aere raptum
Ipſe manu incolumem miranti in littore ſiſtam.
Ignea bella Erebus rurſus mouet. Ilicet atrā
Spæleis cerno è ſtygijs erumpere flammam.
Claudit Aloyſius languentia lumina ſomno:
Cum ſubitò mentem ſubeunt pia vota gemētis

Ieſſæi Regis, cecinit quæ plurima vates,
Eliciens geminos oculis ob crimina fontes,
Quotidie his, Cœlum iaculis Gonzaga petebat;
Tunc, quoniam exciderant animo, ferro excitat ignem
E ſilicis venis, rapuit quem ſtridula furtim
Eſca, & ſulphureo filo admouet: inde volumē,
Attica qnod volucris fabricata eſt virgine cera,
Cærulea admoto comprendit ſulphure flamma.
Hanc ceruicali imponit, ſoluitque tributum,
Crimina Aloyſius largè, ſed non ſua, plorans.
Deinde ignem oblitus ſopire, ipſe aurea ſomno
Lumina conceſſit. Ceram depaſcitur omnem
Flamma vorax; ſubiectaque lina, & ſtragula ſenſim
Exedit: igneſcunt tabulæ, cæcuſque per omnem
Ignis materiem ſerpit: iam plurimus ater
Erigitur fumus: iam latè incendia regnant,
Et iuuenem inuoluunt. Delapſi é nubibus imbres,
Fonteſque, fluuijque, & aquis famulantibus æquor,
Gonzagæ hanc, oro, certatim auertíte peſtem.
Ceſſatis? Iam veſter erit labor irritus. Ignis
Virgineis ceſſit niuibus. Se flamma coheret,
Agger & ipſa ſibi eſt: artus neque tangere ſacros
Auſa (velut gelida iuuenem ſi valle ſedentem,
Propter aquæ riuum, vel fontem propter amænum
Aſpergant rores, mitiſque fauonius afflet:)
Blandus Aloyſium ſic ipſe refrigerat ignis.
Cui

Cui parcunt elementa, viden, crudelis vt in ſe
Igneſcit Iuuenis? Speculum mirabile pandit
Lactea ſanguineis ſulcantem membra flagellis,
Et latera vrgentem calcaribus, & ſua diris
Vrentem Cylicum regalia corpora ſetis.
Vt formæ populatus honos! vt ſydera frontis
Penè extincta latēt! Non ſic ſqualere vidētur,
Quos ferit in ſiluis Cœli intractabilis ira,
Montibus aut gelidis, aut horriferis ſpeluncis:
Carceris impatiēs Gonzaga, interritus audet
Ad Superos tentare fugam. Sed dicar acerbus,
Et nimium crudelis amor, ſi ſponte furentem
Haud dubiam in mortem impulerim. Iuuat aurea tela
Clam torquere: Dei penitus carpatur ab igne,
Atque æſtu pereat vitali. Accommodet alas
Inſtanti fato, dirarum ab ſede ſororum
Quæ digreſſa, lues Gonzagam reddet Olympo.
Romani culmis ſqualent morientibus agri,
Prataq; ſyluæq; & grauidis non picta racemis
Vineta, horriſcant arenti fronde colonum.
Sæua fames Latio, atque famem comitatus egentem
Morborum chorus incubuit: languentibus ardens
Hæret Aloyſij haud quidquam mortale agitans mens,
Prodiga mens vitæ. Languentis vertar in ora
Tunc Amor, ille pijs quem dum complexibus vrget,
Senſibus æthereas ducat fugientibus auras.
Euenere, ſacris quæcunque coloribus olim

Cœ-

Cœleſte exhibuit ſpeculum. Sed funere fauſto
Raptus Aloyſius terræ iuuenilibus annis,
Secula Neſtoreæ vicit longęua ſenectæ.

FRAGMENTVM ARTIS RHETORICAE

Incluſæ numeris

Scriptum Anno 1670.

Et eiuſdem Rhetoricæ Auditoribus Dictatum.

CVM ſpecimen aliquod cæterorum carminum exhibuerimus (nam etiam Satyram in Proluſione Epigrammatum attigimus) Didaſcalicum ſolummodò ſupereſt genus. Habes initium præceptionum, quas ex tribus Ariſtotelis Rhetoricorum libris, eiuſdemque Poetica, aliiſque Authoribus petitas, verſibus amplectemur. Non ſequimur in præſentia certam methodum, vtiliſſima quædam, & diſcipulis aptiſſima delibantes. Naturam ipſam Artis, fontes Argumentorum, ac Tropos explicamus,

mus, & ex tertio Ariſtotelis libro quædam aſſerimus ad ornatum orationis pertinentia. Cætera quamprimum Deo Auſpice proſequemur; Interim enim ex inſtituto noſtro ea ſolùm edimus, quæ proximè euoluto Anno ſcripſimus.

Quid ſit Rhetorica, quod eius officium, finis, & materia?

RHetorica eſt ars dicendi. Quid dicere? fari
Facundè, ornate, grauiter. Quid dixeris artem?
Quæ tradit præcepta aliquid rectè efficiendi.
Rhetoricæ officium? Ad ſuadendum dicere ritè.
At quis Rhetoricæ finis? Suadere loquendo.
Rhetoris hinc ille officio perfungitur, aptè
Qui ad perſuadendum dicit; quanquam ille proteruos
Haud animos flectat. Sed qui fœliciter illos
Expugnat, finem aſſequitur, quem ſedulus ambit.
Quæſtio materia eſt, Rhetor quam tractat, & iſta
Aut infinita eſt, aut certo limite clauſa.
Argolici primam dixere Theſim, atque Latini
Propoſitum; Aſt alia Hipotheſis ſermone Pelaſgo,
Cauſa, aut Controuerſia dicitur à Cicerone.
Propoſitum eſt: an honor Martis quærendus in armis?
At

At cauſa: an laudem meritus ſit Cęſar in armis?
Illa infinita eſt, hæc certo limite clauſa.

De genere cauſarum.

CAuſarum triplex genus eſt: Demonſtratiuum,
Iudiciale, & quo Iudex deliberat: iſtud
Suadet, diſſuadet: condemnat, ſiue tuetur
Iudiciale; At demonſtratiuum reprehendit,
Laudibus aut ornat. Quæ mox ventura trahuntur
Expendo, quando delibero: Iudiciale
Sed genus elapſum tempus: Demonſtratiuum
Præteritum, aut præſens ſpectat. Suadere volenti
Eſt author Cicero, vt fieri rem poſſe, & honeſtam,
Et conducentem eſſe oſtendat: Res, homineſq;
Et loca laudamus. Vel præcedentia ſpecta
Commendans hominem, Proauos, Oracula, Patres,
Prodigia, & Patriam: vel quæ præſentia cernis,
Corporis, atque animi, fortunæ & dona ſecundæ:
Vel finem, vt Mortem, Natos, famamq; decoræ
Hæredem vitæ, & laudum monumenta relicta.
Præcipué ex Cauſis, Effectis, atque Adiunctis
Exornatio conficitur Rerum, atque Locorum.

De

De partibus Rhetoricæ.

PArtes Rhetoricæ ſunt quinque hoc ordine iunctæ:
Inuenio, diſpono, atque eloquor, & memori mox
Inuenta infigo menti, pronuncio tandem.
Quando argumenta inquiro, queis vera probetur
Quæſtio, tunc res inuenio. At diſpono, decoram
Inuenta in ſeriem cum digero. Lumina ſpargens
Verborum egregia, & rerum, queis fulgeat aptis
Quæſtio ſideribus, tunc eloquor: At memoris vis
Eſt animi rerum perceptio firma. Sed omnes
Rhetoricæ ſuperat partes, Demoſthene teſte,
Actio, quæ vocis, geſtus, totius & apta
Corporis eſt iuxta veteres moderatio leges.

De adiumentis, & muneribus Rhetoricæ.

DIcendi eſt triplex ſtylus, vehemens, & acutus,
Ac tenuis. Tria ſunt quoque Rhetoris adiumenta,
Si ingenio præſtat, ſi naturam excolit arte,
Atque

Atque artem exercet. Tria ſunt etiam Oratoris
Munera, Delectare, Docere, ſimulq; Mouere.
Omne feret punctum, ſi miſceat vtile dulci:
Si quibus informet mentes, arcana recludat,
Ad laudem incendat, circum præcordia ludẽs.

De fontibus Argumentorum.

ARgumentorum fontes, communia priſci
Quæ loca dixerũt, ſi ipſi ſunt inſita cauſę,
Quam tractamus, & à gremio illius educuntur,
Sex ſunt atq; decem; ſi verò extrinſeca, ſunt ſex,
Inſita ſunt, quando definio, vel noto nomen,
Diſtribuo in partes, vel coniugo, vel genus addo,
Vel formam, aut ſimile, aut quid diſſimile, aut adiuncta,
Aut contraria, quæ anteeunt, quæ deindè ſequuntur,
Quæq; repugnant, & cauſas, effectaq; cauſæ,
Vel maiora, minora, æqualia comparo tandẽ.

Definitio.

DEfinitio rem explicat: vt, Virtus animorũ
Eſt affectio recta. Aliquid commune petendum eſt
Pluribus, atqee aliquid proprium: ex vtroque oriectur
Definitio: commune eſt Affectio, Recta
Eſt proprium. Natura rei cum panditur ipſa:
Vt rationale eſt animal homo: definitur

Stri-

Strictè. At cum deſcribo, remq; explico, cauſas
Enumerans, partes, effecta, adiunctaque, non eſt
Definitio preſſa. Simul cum congrego plures,
Amplifico pulchrè. Deſcribitur à Cicerone
Curia ſic: Templum pietatis, regia mentis,
Conſilij ſedes, caput Vrbis, portus, & ara
Perfugij Argumentum ex hoc ſic erue fonte.
Si virtus animi eſt affectio recta, profecto
Haud verſutia erit virtus, quæ affectio praua eſt.

Etymologia, ſeu notatio nominis.

EXplicat apta Notatio nomē: vt éxplicat ipsá
Definitiorem: veluti qui conſulit vrbi
Dicetur Conſul. Piſo non conſulit: ergo
Dicetur Conſul? Stephanum dixere Coronam
Argiui, fideiqne hoc dignus nomine teſtis.
Ius Verris tam nequam eſt? In Prætoris iniqui
Sic nomen luſit Cicero: tibi quā bene Laurus,
Laurenti, impoſuit nomen! Tibi gratia & ipſa
Ioannes. Naſcuntur ab hoc anagrammata fonte.

Partium Diſtributio.

QVando rei totius partes enumerantur,
Tertius eſt fons Rhetoricus. Deducis ab illo
Argumentum ſic: Habet has Reſpublica partes,
Patres Cōſcriptos, Equites, Plebem: Ciceronis

Di-

Diſceſſu mœrent Patres, Equiteſque furore
Tabeſcunt, Plebs arma rapit: Reſpublica tota
Ergo te vt Patrem, Tulli, plorauit ademptum:
Vis incrēdibilis rerum hac ab origine manat.
Amplificare cupis? hoc ſæpius vtere fonte:
Vt ſi delicias veris deſcribere geſtis,
Mundi animaduertas partes, quæ veris amæni
Munere lætātur: Cœlum, quod cornibus aureis
Illuſtrat Taurus: quē hilarāt ſol mitis, & auræ,
Aera: quæ glacie currunt exuta hyemali,
Flumina, ſed niuibus quandoq; tumentia lapſis
Aereo ex monte, ac terram, quæ veſte recenti
Herbarum induitur, teneris dū frondibus arbor
Comitur, & pulchri pingunt viridaria flores.
Amplificatio proſtrahitur quandoque negando
Partes, quæ toti haud inſunt, velut affirmando
Partes, quę inſunt toti, eadē amplificatio ſurgit.
Sic hyemis numerando incommoda, & illa negando
Per partes de vere, alijs ver laudibus effers.

Coniugata.

CONiugo cum verba inflecto, atque immuto parumper.
Quæ generis ſunt eiuſdem; veluti, ſapienter,
Et ſāpiens, ſapientia. Ab hoc ſic argue fonte:
Namque homo ſum, nihil humani à me credo alienum:
Quos orno? qui ſunt Patriæ ornamenta, Quirites.
Improbus haud ille, improbitas aſt ipſa videtur.

Au-

Aurea nunc verè ſunt ſecula: plurimus auro
Vænit honor. Vidêſ ex mutatis, Au ea & Auro,
Naſcitur ironia ferox, atque ingenioſa.

Genus, & forma.

QVod ſub ſe plures formas habet, eſt Genus, atque
Se communicat illis: vt Flos; ſcilicet illi
Lilia ſubduntur, violæ, tulipæq; roſæq;
Lilia ſunt flores, Roſa flos. Communicat ergo
Se Flos vnicuiq; & ſub ſe amplectitur omnes.
Partes, quæ generi ſubduntur, dicimus eſſe
Formas, aut Species. Sic eſt animal genus, atq;
Formæ ſunt homo, equus, leo, bos, elephas, tigris, vrſus.
A genere, & forma ſic argue: quando negare,
Aut potes affirmare aliquid, quod cõuenit vni,
Affirmare potes de alio, pariterque negare.
Vt: ſi animal viuit, viuit leo: ſi leo ſentit,
Sentiet ipſum animal: ſi animal non protrahit æuum
Perpetuò, nec perpetuos leo viuet in annos.
Si leo non cedit ſtellis, nec cedit iiſdem
Ipſum animal. Quæcunque ergo concedis ineſſe,
Aut generi deeſſe, hæc eadem concedere debes
Formæ deeſſe, & ineſſe; & plurima, quæ ſpeciei
Inſunt, vel deſunt, inerunt generi, deeruntq;

De

De ſimilitudine, & diſſimilitudine.

E Simili, aut è diſſimili argumenta petuntur,
Cum diſpar res ad noſtram deducitur, aut quæ
Sit noſtræ ſimilis, vel multum diſtet ab illa:
Sic Cicero: vt morbo tentati haud experiũtur
Menſæ delicias, veræ ſic gaudia laudis
Haud illi experti, quos vexat dira libido,
Auri ac ſacra fames: exemplum Naſo dat illud:
Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Sic duro inſpicienda fides eſt tempore amici.
Diſſimile eſt iſtud: Si non iaculatur in æuum
Barbarus æternum curas, ſed carpere geſtit
Labentem lucem: nos perpetuos animo annos
Debemus verſare, & famæ regna ſubire.

De Contrarijs.

QVadruplicis generis contraria ſunt: Aduerſa,
Et priuantia, quæque inter ſeſe referuntur
Et contradicentia. Diſtant ſub genere vno
Aduerſa: Vt Vitiũ, & Virtus; habitus animorũ
Eſt enim vterque, & pugnant: ſic niger, & color albus:
Bellum pax. Belli amplifices incõmoda, amorẽ
Si accendis pacis. Sacri ſic Muſa Maronis:
Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.
At Priuantia ſunt habitus, priuatio & illi
Oppoſita: vt lux, & tenebræ: mors, vita; Milonẽ
De-

Defendẽs Cicero: Quiſquã, Clodij necis vltor,
Inquit, erit, quẽ tænareis, ſi poſſet, ab vmbris
Eueheret nullus ſceleratæ ad lumina vitæ?
Inter ſe referuntur Miles, & Induperator:
Acceptum atque datum: genitor, ſobolesque: Magiſter,
Auditorque. Ex hoc Cicero venatur amorem
Cæſaris: Ergo tui qualis ſit gratia doni,
Gloria ſi accepti tanta eſt? Turpe ergo docere,
Diſcere quod præſtat? Contradictoria pugnant
Cum affirmantibus: vt, ſi hoc eſt, non eſſe neceſſe eſt
Oppoſitum huic: Muſas iuuenis colit? ergo quiete
Non ſtupet ignaua. Eloquitur, non ergo ſilet vox.

De *Antecedentibus*, *Conſequentibus*, *& Repugnantibus*.

ANteceunt quæ rem, quæque illi ſemper adhærent,
Præcedentia dicuntur: ſic arguis ex hoc
Fonte: Ortus ſol eſt; ergo fulgere di i
Lucem concedas. At quæ rẽ deinde ſequũtur,
Præceſſiſſe probãt quę cum re iuncta videmus.
Vt, ſi exorta dies, ſol ortus origo diei.
Quę lege haud certa, aut numero opponuntur eodem,
Illa repugnare affirmes: Vt Amare, Nocere;
Namque animi ſunt affectus Odiſſe, & Amare,
Atque

Atque hæc Aduerſa inter ſeſe dicimus eſſe:
At quia Amare animi eſt affectus, ſed Nocuiſſe
Haud animi eſt motus, non certa hęc lege
repugnant:

De Adiunctis.

QVę rem circumſtant, & cauſę Adiuncta
vocamus
Plurima ſunt,& verſiculo clauduntur in iſto:
Quis,quid, vbi,quibus auxilijs,cur, quomodo,
quando.
Singula percurrens rem mirificè amplificabis.
Integra naſcitur hoc aliquando Oratio fonte:
Vt quæ Rupellam ob captã ſuper æthera tollit
Galloium Regé: nec verò Adiuncta per omnia
It: quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo,
pendit.
Quid? Quam rupem,quàm validam, quàmque
omnibus auctam
Pręſidijs. Vbi? pręcinctam auxiliaribus vndis.
Et quibus auxilijs? geminis ſuper ęquora vallis
Erectis fruſtra Oceano indignante, Britannam
Vt claſſem arceret. Cur? Relligionis amore,
Egręgij quę cauſa fuit iuſtiſſima belli.
Quomodo ſignificat modum,ideſt citò,fortiter,
atque
Non ſine prodigijs,& cuncta elementa rebellis
Hęreſis in cladem armando. Funebria ſępe
Ex hoc fonte ſolent educi exordia,quando
Mortis ab Adiunctis gemitus, lachrymaſque
ciemus,

Sępe

Sæpe etiam luſus Epigrammatum, acutaque ab iſto
Fonte oritur concluſio: Nos tantummodo ab vno
Adiuncto eruimus centum: Nix æthere lapſa eſt
Anni ſub finem: Ex Quando orta Epigrammata centum.

De Cauſis.

CAuſa eſt, quæ virtute ſua efficit id, quod cauſat:
Vt lucis cauſa eſt Sol. Quattuor eſſe feruntur
Cauſarum genera: Efficiens, & Materialis,
Formalis cum Finali. Efficiens rem gignit:
Vt Sol lucem, homines homo, ſed Deus omnia cauſat.
Finalis cauſa eſt, quæ nos mouet ad faciendũ:
Vt ſperata ſalus eſt finis, cuius amore
Ex ægro hauritur medicina; at Materialis
Cauſa eſt, ex qua res educitur, & formatur:
Materia vt lignum eſt ignis. Formalis at ipſi
Dat formam, ſpeciemq; rei, ac diſtinguit eandẽ
A reliquis: Sic forma hominis cõpos rationis
Eſt animus, per quem à brutis ſecernitur idem.
Argumenta potes de cauſis ducere: vt ipſum
Cõmendes hominem, lauda cauſam Efficientẽ,
Patres, atque Deum; & Finem, in quem conditus ipſe eſt,
Scilicet æterna vt Numen per ſecula cernat.
Laudes amplifices ex cauſa Materiali,
Corpore præclaro: At Formalis plurima cauſæ

Laus erit, humanumque animum ſuper æthera
tolles.

De Comparatione.

VLtimus eſt fons Rhetoricus, cum comparo, & iſtum
Explico tripliciter: Paria, & maiora, minora
Et ſimul æquiparans: Paria, vt cum confero Magnum
Cæſari Alexandrum. Maiora aſt vrgeo, dicens:
Ornarunt ſeſe Gracchorum ſanguine Patres,
Cur maculam nobis Catilinæ ſanguis inurat?
Pręclarè dixit Cicero. Sunt illa minora:
Vt iugulent homines, ſurgũt de nocte latrones,
Vt te ipſum ſerues non expergiſceris vnquam?

De Locis Extrinſecis.

INſita ſunt hæc argumenta; extrinſeca verò
Sunt Pręiudicia, & Tabulę, Tormẽtaq; Fama,
Teſtes, & Iusiurandum. Cum ſcilicet ante
Iudicium eſt aliquod latum, Præiudicium illud
Dicimus. At Tabulæ ſunt leges, iuraq; Patrũ:
Cætera ſunt manifeſta. Genus ſed iudiciale
Vtitur his tantũ, quod vix noſtra excolit ætas.

De Argumentatione, ſiue vſu argumentorum.

EXplicat argumentũ Argumentatio Prima
Illius eſt ſpecies Syllogiſmus: Tribus idẽ
Iudicijs conſtat: propono: aſſumo: & vtrumque
Iu-

Iudiciũ amplector: velut: ars omnis diſcēda eſt:
Rhetorica eſt ars: ergo Rhetorica eſt diſcēda.
Enthymema eſt imperfectus ſyllogiſmus:
Ars eſt diſcenda: ergo Rhetorica eſt diſcenda.
Eſt Inductio, quæ, numeret cum plurima, totũ
Conficit: vt: mores, quæ temperat, & ſua cuique
Quę tribuit, pectus quę roborat, & regit omnes
Prudēter motus virtus, laudāda, & honeſta eſt.
Omnis honeſta ergo eſt virtus, laudemque meretur:
Eſt porrò Exemplum imperfecta Inductio. At vno
Circuitu verborum includitur Epicherema:
Quæque ſimul plures argumentatio aceruat,
Sorites eſt. Cum duo proponas, reprehendit
Vrgens propoſitum, tradas quodcumque, Dilemma:
Omnibus eſt virtus quærenda: bonis, meliores
Vt fiant, prauis, vt diſcant viuere rectè.

De Tropis.

RHetoris eloquium ornatum, aptum, ſitque latinum.
Ornatur ſed pulchra Tropis, pariterq; Figuris
Scriptio: ſunt ſua verborum, ſunt lumina rerũ.
Verbum, aut ſermonem quando aptè immuto, ſuaque
Auulſum de ſede, alijs accommodo rebus,
Dicitur eſſe Tropus. Segetes ſi dixero lætas,
Quod proprium eſt hominum Appoſitum, aptè accommodo campis.

De Metaphoris.

AD ſimile à ſimili cū transfero, dicitur eſſe
Metaphora: vt: pratum ridet: Quadruplex
genus eius
Eſſe ſolet. Cū animal pro animali ponitur: vt ſi
Affirmes latraſſe hominem: ſpoliataque ſenſu
Si pro alijs ſenſu ſpoliatis dixeris: vt: nil
Concentu virtutum ſuauius: Aut pro animali
Si ponas orbata animo: Vt, duo fulmina belli
Scipiadæ: Aut quæ viuorū ſunt propria ponas
Pro exutis animo: vt: pōtē indignatus Araxes.

Synecdoche.

CVm totum ex parte, aut ex parte intelligo totum,
Aut quæ præcedunt ab ijs, quæ deinde ſequuntur,
Eſt Vati vſurpata Synecdoche; at Oratori
Non adeo conceſſa. Modis hæc adſolet octo
Efferri: Partem pro toto pono: carinam
Pro naui: Aut vnum pro pluribus: vt Maro dixit:
Hoſtis habet muros: aut formā pro genere ipſi
Subiectam generi: ceu quouis pro ſue dixit
Virgilius: denteſque Sabellicus exacuit ſus:
Aut pro confecta re materiem affero: Pinum
Pro naui: Aut totum pro parte: Ignéq; ferebāt,
Fontemq; Aut plures pro vno: Vt: ſumus Oratores

Viſi, inquit Cicero: Aut pro parte genus: velut: ales
Vnguibus abiecit prædam. Aut quæ ipſam anteeunt rem,
Pro re ipſa pono. Vt Maro pro: ruit Oceano nox:
Aſpice, aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci.

Metonymia.

PEr cauſas effecta, ſua aut intelligo cauſas
Quando per effecta, aut per ſigna intelligo eodem
Rem ſigno expreſſam, aut per rem, quæ continet, ipſum
Contentum, Græcis Metonymia dicitur eſſe.
Per cauſas effecta aperis: onerantque caniſtris
Dona laboratæ Cereris: legiſſe Platonem
Dicor, diuini cum legi ſcripta Platonis,
Cauſam ex effectis pando, cum pro ſcelerato
Deprenſum dico ſcelus, & mæſtum eſſe timorẽ
Dico, quòd mæſtos faciat. Quod continet, ipſa
Profero pro re contenta: fælicia ſecla,
Et benè moratas vrbes, doctas & Athenas
Cecropijs dico pro ciuibus: & Maro dixit
Pro ipſis Cælitibus, Cælo gratiſſimus amnis.
Pro re poſſeſſa Dominum: iam proximus ardet
Vcalegon: vel rem per ſigna intelligo: pacem
Sic toga ſignificat, faſceſq; & purpura regnum.

Antonomaſia.

ANtonomaſia aſſueuit pro nomine certo
Ponere quid clarũ: vt Carthaginis euerſorem
Dicit, cum fuerat dicendum, Scipio: Princeps
Romani eloquij dicetur Tullius, atque
Virgilium appellans, Latij appellabis Homerũ.

Onomatopæia.

FIngere ſueta nouas Onomatopæia voces,
Perpẽdens ſonitũ, cui ſignificatio pulchrè
Reſpondet: Pelagi ſic murmur, ſibilus anguis
Dicitur, atque boum mugitus, ſtridula ſerra.

Catachreſis.

CVm verbis audacter abutimur, aut quia deſunt
Propria, mutãdi aut cauſa, Catachreſis Achiuis
Dicitur. Extinxit qui matrem, dicitur eſſe
Parricida: minari pulchra: optare dolorem.

Metalepſis.

QVibuſdam veluti gradibus Metalepſis ab vna
Ad res conſueuit reliquas expandere callem;
Poſt aliquot mea regna vidẽs mirabor ariſtas:
Hinc ſpicæ, ſegetes, æſtas ſignatur, & annus.

Al-

Allegoria.

DIuerſum Allegoria, aut Inuerſio ſenſum
A verbis affert. Diuinus dū Maro dixit:
Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor,
Et iam tempus equùm ſpumantia ſoluere colla;
De curru fari eſt viſus, tamen ille profatus
De libro eſt: ſunt plures metaphoræ Allegoria:
Quandoque eſt proprijs permixta: ſubire procellas,
Atque fori fluctus ſemper Milo ſueuit, & auras
Spernere, & hoſtiles ſcopulos, ſyrteſq; doloſas.
Quādo obſcura eſt Allegoria Ænygma vocatur,
Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cœli ſpatium non amplius vlnas?

Ironia.

NOn tantum diuerſa, aſt & cōtraria verbis
Significat ſenſu Ironia aſſueta iocari.
Sic Drancem Turnus commendat: Meque timoris
Argue tu, Drance, quando tot ſtragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit: vix nauita Portmeus
Tot ſimulacra virùm potuit traducere cymba.

Periphraſis.

CVm per circuitum amplifico, quæ dicere poſſinm
Paucis, aut vno verbo, conſueta Poetis
Dicitur eſſe Periphraſis: Hoc pacto Maro dixit:
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ęgris
Incipit, & dono Diuùm gratiſſima ſerpit:
Dicere cum poſſet: nox cœperat arbitra sõni.

Hyperbaton.

TRaijcitur verborum, ſeu peruertitur ordo,
Cum vſurpatur Hyperbaton: vt: Maria, omnia circum
Pro circum Maria: & Septem ſubiecta trioni.

Hyperbole.

AVget, & imminuit tranſgreſſa Hiperbole verum:
Vt: celſas ſuperant nubes, geminique minantur
In Cœlum ſcopuli: pennis volat ocyor Euri,
Fulminis atque alis. Quæ tam inſaturata Charibdis,
Neptunu ſue vorax? Capreæ vix oſſibus hærent

Quid

Quid ſint figuræ verborum, & rerum, & in quo differant à Tropis.

LVmina verborũ, & rerum, quas eſſe Figuras
Dicimus, à ſolito vulgi ſermone recedunt,
Et magis aſſurgunt. Verborum lumina verbis
Mutatis pereunt; perſtant at lumina rerum.
Efferri proprijs verbis perſæpe figura,
At nunquam Tropus aſſueuit. Diſcrimen in illis
Hoc tantum eſt. Et ſæpe ſimul conſpirat vtrũq;
Lumen: quiq; Tropus, ſimul eſt præclara figura.

Quot modis fiunt figuræ verborum.

DEtraho, ſiue addo, ſimiles, ſiue inſtruo voces,
Quando verborum claras vſurpo figuras.

Figuræ verborum, quæ fiunt per additionem.

Repetitio.

DVcitur ex vno cum ſæpè Oratio verbo,
Eſt Repetitio: ceu: quis Romam diruit hoſtis?
Quis templa euertit? quis Tybrim ſanguine tinxit?

Conuerſio.

DEſinit at verbum cum ſępe oratio in vnū
Eſt Conuerſio; Sunt cæſa agmina veſtra
Quirites?
Extinxti, Antoni. Flos Vrbis funere merſus?
Extinxti Antoni Ex his plurima Tullius affert.

Complexio.

VTramque includit Comple io; nam repeto, & mox
Conuerto: veluti: quis rupit fædera? Pænus,
Quis bellum tulit Italiæ? Pęnus. Quis equeſtri,
Patricioque cruore impleuit flumina? Pęnus.

Conduplicatio.

COnduplicatio verborum eſt geminatio, quæ vim
Sæpe habet, ingenuo quandoq; lepore ſuperbit.
Te nemus Angytiæ? vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuere lacus: ſapiens Maro dixit.

Traductio.

ESt Traductio, quando verba immuto parumper,
Crebrius aut vnum vſurpo. Quis ſæuior hoſtis?
Cuius mucro latus noſtrum hauſit? quo duce bellum

Italiæ incubuit? Quis Romæ terruit arces?
Sæpe etiam verbum ſenſu vſurpatur vtroque;
Eſt enim amari iucundum, niſi quid ſit amari.

Synonimia.

SIgnificantia idem cũ verba exaggero plura,
Eſt Synonimia: exceſſit Catilina, & ab Vrbe
Euaſit tandem, erupit ſæuiſſima peſtis.

Polyſyndeton.

CVm crebra affertur, quę det coniunctio robur
Eſt Polyſyndeton: vt Sapiens Maro dixit:
Armentarius Afer agit, tectumque, laremque,
Armaque, Amycleumque canem, Creſſamque pharetram.

Gradatio.

ESt Gradatio, quæ repetens iam dicta, reſiſtit
Singula percurrens: virtutẽ induſtria, virtus
Famã, deinde hoſtes peperit celeberrima fama
Heroi, cui victa dedit clarum Africa nomen.

Figuræ verborum, quæ fiunt per detractionem.

Diſſolutio.

DIſſoluo cum detrahitur coniunctio: ſicut: Ornant, delectant, proſunt documenta Mineruæ.

Adiunctio.

CVm ſentētia non vna ad verbū reuocatur Vnū, Adiūctio dicitur, vt: ſcelerata laborē Segnities, audax rationem amentia vicit.

Diſiunctio.

CVm quæuis verbo ſentētia clauditur vno Diſiungo: pudor abſtraxit, reuocauit Lætitia, & iucunda quies tardauit inertes.

Synecdoche.

CVm ſubtractum aliquod verbum ſat cętera ſignant, Eſt Synecdoche: nullus ſermo: intellige, de te:

Synecioſis.

SYnecioſis diuerſas res ſimul vnit. Tam quod habet, deeſt, quàm quod non habet æris auaro.

Fi-

Figuræ verborum, quæ fiunt per ſimilitudinem.

Annominatio.

ANnominatio verba parum immutata rēſumit.
Vt: nauus, vanus: flāma huic clariſſima fama eſt:
Namque docent, quæ ſæpe nocent, non omnia lædunt.

Similiter cadens.

VErba cadunt non rarò in caſus plurima eoſdem:
Non admirer, amem, atque ſequar te, maxime Iuli?

Similiter deſinens.

DEſino tunc ſimili ratione, eſt exitus idem
Cū in verbis, aut nomine: vt, audiui: atque ambiui.

Compar.

MEmbra pari numero cum conſtant, dicitur eſſe
Compar: Bella parauit, ſuſcepit, confecit.

Contrapoſitum.

EſSt Contrapoſitum, ſiue Antiteton, duo pugnant
Cum verba, aut duplex potius ſententia certat:
Immortalis amicitia, at mortalis habenda
Eſt inimicitia; vlla tamen quãdoq; ſi habẽda eſt.

Commutatio.

COmmutatur, quando duplex ſententia pũgnans
Sic efiertur, vt à prima contraria primæ
Naſcatur: non viuo vt edam, ſed paſcor, vt æuũ
Producam: Picturà loquẽs ſi eſt carmen, & ipſa
Dicitur eſſe etiam tacitum pictura poema.

Figuræ ſententiarum.

NOn in verbis, aſt in rebus ineſt decus, ipſa
Quando in ſe includit ſententia pulchra figuras.

Interrogatio.

INſtandi cauſa, haud quærendi interrogo, Quid non
Auri ſacra fames mortalia pectora cogis?

Re-

Reſponſio.

QVærenti vnum occurro alij, reſpondeo quando:
Occidit ne hominem quærẽtibus? addo: latronẽ.

Subiectio.

ESt Subiectio, cum orator ſe interrogat ipsũ
Aut ſibi reſpondet: Deerat domus? illam at habebas.

Occupatio.

OCcupo cum prȩſumo, hoſtis quæ oppone-re poſſet:
Cæcilium Cicero ſic occupat, obieciſſe
Qui potuit, cur accuſet nunc Tullius, omnes
Perpetuò ſueuit qui propugnare clientes.

Correctio.

ESt Correctio, cum ſententia tollitur, atque
Mutatur: Non patria tecta, aſt Italiã omnẽ
Ornauit; quãquã domus ipſa ornatur, in omnẽ
Italiam, quando Dux congerit ornamenta.

Dubitatio.

CVm quȩro, vnde ſit incipiendum, vbi ſit ſtatuendus.

Ter-

Terminus,eſt dubitatio. Quo me,neſcio,vertā.

Communicatio.

COnſulitur quando iudex, aut hoſtis, habetur
Communicatio:ceu:quid tu faceres,Labiene?

Proſopopæia.

PRoſopopęia eſt perſonarum inductio ficta:
Extinctos reuocat tumulis,atque Vrbibus ipſis
Sermonem tribuit: Reſpublica cum Cicerone
Sic loquitur:Quid agis Tulli,non cōſulis Vrbi?

Apoſtrophe.

AVerſus ſermo eſt à iudice Apoſtrophe:
Et hoſtes
Aut vrget: Tubero,tuus ille quid enſis agebat?
Inuocat aut quidquam:Albani tumuli,antraque adeſſe.

Hypotyposis.

REs ipſas oculis ferme exhibet Hypotyposis.
Ardebant oculi,atque furor ſpirabat ab ore.

Apoſiopeſis.

APoſiopoſi affectũ indico, ſupprimo & illũ:
Quos ego? ſed motos præſtat componere fluctus.

Ethopeia.

ESt morum, atque alienæ Ethopeia imitatio vitæ:
Corpore vt incultus, veſtitu ſqualidus ibat.

Emphaſis.

QVod latet, ex dicto eruit Emphaſis. Vt Marp dixit:
Immenſo Cyclops iacuit reſupinus in antro.

Suſtentatio.

POſtquam animos ſuſpendit, inexpectata prefatur
Suſtentatio: ceu: Quid preſtitit inde, Quirites?

Prætermiſſio.

PRætermitto, cum neſcire aut dicere nolle
Dico, quæ tunc amplifico. Non crimina quæro.

Licentia.

QVod minimè lædat cum profero, ſumpta pudenter
Eſſe Licentia dicitur: Vt: Vide: abeſt metus omnis.

Conceſſio.

QVando aliquid concedo, vt quæ dicenda ſuperſunt
Eniteant magis, eſt Cōceſſio: Ceu: leuia hęc sūt.

Interruptio.

INterruptio, ſiue Parentheſis eſt breuis à re
Propoſita digreſſio, cui vis, aut lepor inſit.
Vera tuū nomen (ſuperet modo Mātua nobis,
Mantua væ miſerę nimium vicina Cremonæ)
Cantantes ſublime ferent ad ſidera Cycni

Ironia.

IRonia, animi ſeu fictio: Crimina, Cęſar,
Affero inaudita: aſpexit Ligarius Afros.

Diſtributio.

DIſtribuo, in partes aliquid tribuens, ſua cuique
Cum ratio additur: Vt prudens, & fortis haberi
Pu-

Pugnando eſt dignus Macedo, populoſque regendo.

Permiſſio.

C Vm datur vltrò hoſti, quod ademptum maximè eidem
Exoptat Rhetor, Permisſio dicitur: Vt: quid
Cunctaris, Catilina, ex Vrbe erumpere tandem?

Deprecatio.

D Eprecor implorans alicuius opem: Veluti: oro
O genitor, per ego has lacrymas, natumq; tuũ te.

Execratio.

P Erniciem cuidam cum deprecor, execrari
Dicor: Ceu Cicero: Dij te perdát, fugitiue.

Epiphonema.

E Piphonema eſt narrati acclamatio facti:
Tantæ molis erat Romanam cõdere gentẽ.

Exclamatio.

A Ffectum oſtendit, ſiue Exclamatio quẽquã
Compellat: Velut: O Miſerum me!, O
tempora, mores!

De

De Perſpicuitate, & Decoro, præſertim in Metaphoris.

Ex Ariſtotelis Rhetoricorum lib. 3. cap. 2.

QVi petis artifici ſtylum ratione doceri,
Perſpicuè dicas: Cauſæ niſi verba repugnant
Magnifica, hæc præhabenda: addunt & priſca decorem.
Ne quæſitus, at innatus cultus videatur.
Vulgo incognita verba lege: eſto Metaphora mixta
Perſpicuis verbis: Proportio Metaphorã ornat.
Si laudas, quære optima, peſſima, ſi condemnas,
Vnde oriantur Metaphoræ. Laudare coactus
Immeritos, cautè mollita vocabula profer:
Peccantem dic lapſum errore: At crimina damnans,
Peccantem dicas, non lapſum. Ne trahat ortũ
Metaphora ex iniucundis, nimiumue remotis,
Turpibus aut rebus; ſed honeſtis, nobilibuſq;
Aut pulchris. Ne ſumas obuia: Roſcida, dicas,
Aurora eſt; At ſi dicas, Rubram, ineptus haberis.
Vtere Synonimis. Eſt maxima in Appoſitis laus.
Si damnas, Matricidam appellabis Oreſtem,
Si laudas, Vltorem patris. Simonides non
Dixit, dimidio eſſe aſinos, mulos; ſed, auete
Alipedum, dixit, ſoboles pulcherrima equorũ:
Diminutiua placẽt quãdoq; vt, Iurgiolũ, inquit
Lenis Ariſtophanes.

De frigida dictione.

Ex Ariſtotelis cap. 3.

Quo frigida dictio fonte
Dimanat? Geminas voces ſi iungis ineptè:
Vt ſi, Anguſtiuadum littus. Sunt hæc dityrambi
Propria, qui ſtrepitu gaudet: nimiumque frequenter
Si verba vſurpes, quæ iam periere: pedeſtri
Si ſtylo appoſitis vtaris inanibus, addant
Quæ nihil ignotum: ceu: lac album. Iſta poetis,
Quamuis nil addant, ſint dummodo vera, relinquas.
Denique ſi translatio inepta, nimiſue remota,
Aut tumida: vt: cõmercia pallida: dictio friget.

De diſcrimine inter Metaphoram, & Similitudinem.

Ex Ariſtotelis cap. 4.

PRoxima Metaphoræ eſt Similitudo: Eſt Leo Cæſar,
Si dicas, translatio erit. Sed ſi inquis: in armis
Eſt Cęſar veluti Leo; erit Simile. Inclyta imago
Eſt rerum Similitudo, crebròque adhibenda:
Conuerti poſſe & ſimile, & translatio debent:
Hinc, Phialam Clypeum Bacchi, non dixeris aptè,
Nam Clypeũ Martis Phialã appellabis ineptè.

De Grandi, & Magnifica dictione.

Ex Ariſtotelis cap. 6.

MAgnifica, & grãdis ſit dictio, ſi vſurpetur
Definitio pro definito: Italiam ſi
Dixeris Italiam, non ſic aſſurgis; vt addens:
Quã ſecat Apẽninus, quã mare cingit, & alpes.
Ne quidquam dicas ignobile: circumſcribe
Illa, ſuo quæ ſi compelles nomine, ſordent.
Metaphoris crebris fit grandior, appoſitiſque
Sermo, ſuperlatis præſertim, & congeminatis.
Plurali vtaris numero: ne, ad littus Achæûm
Deuenit, dicas, ſed, Achaica littora, puppis.
Diuide, quæ iungi poſſunt: Ne, fœmina coniux
Regis, læſa eſt, dicas; Aſt, & fœmina, & vxor
Regis, namq; addit crebra hæc cõiunctio robur.
Materiem exilem ſi tractas, quæ tibi pauca
Præbeat affirmanda, nega, quæ plurima deſunt.
Amphimachus ſic de Tecmeſſo eſt plura locut⁹,
Quàm de Atho reliqui, dicens: ignobilis hic mons
Non ſilua, aut fonte ornatur, nõ ſurgit ad aſtra.
Preterea lege verba, A, atque O crebrò quibus inſint:
Magnifico grandis ſic dictio profluet ore,

De decoro ſeruando.

Ex Ariſtotelis cap. 7.

SCriptio præterea debet ſeruare decorum:
Quod præſtat, ſi, quas tractat, ſit conſona rebus:

Atque

Atque imitetur mores, & motus animorum.
Conueniet rebus, ſi de altis alta loquatur;
At non aſſurgat nimium, mediocria quando
Profert argumenta: ciebis denique riſum,
Vilia ſi appoſitis illuſtribus exornabis:
Ceu qui conſueuit venerandam dicere ficum.
Vt genus, ætas, & patria, & fortuna virorum
Diuerſa eſt, varij ſic mores. Rhetoris illos
Verba colorabunt: puero, iuueniq. ſeniles
Ne appingat mores, ſtudia aut regalia ſeruo.

De mouendis affectibus.

Ex eodem cap.

ORator, ſi vult animos incendere, flagret:
Si terrere, metum ſimulet: quoſcumque animorum
Motus prouocat, illos exhibeat prius in ſe;
Hinc clamor quandoque ſolet, lachrymæque mouere,
Quos nulla impellunt verba. Eſt aliquando decorum,
Spem certam ſimulare, timor quando anxius vrget:
Quis neget hoc? dicas, quanuis incerta loquaris.
Si rem prodigioſè auges: Nihil augeo, dicas;
Sed veri me cogit amor tam magna profari.
Omnia quæ facit ars, nil per ſe proferat: hæc eſt
Ars maior, quã quę patet õnibus. Vtere crebrò
Appoſitis, quando motus animi incenduntur,
Præſertim magni ſi oſtendas ſigna furoris.

De numero Oratorio.

Ex Ariſtotelis cap. 8.

EX nu'meris nimium aſſurgit, nimiũq; ſonanti
Ore fluũt ſpõdæus, dactylus, atq; anapæſtus;
Hinc illós rarò iunges: exilis Iambus
Eſt nimiũ, excidit & crebrò ſermone pedeſtri.
Lubricus, & currens ſaltu gaudere Choreus
Aſſolèt: Hos inter medius Pæan neque turget,
Nec cadit, aut ſaltat. Tres ſyllaba longa præibit
Quando breues, primus Pæan dicetur: & vna
Syllaba lõga tribus breuibus ſubiecta, ſecũdus.
Principium primo ducas à Pæone; finis
Commodus, & conſtans, alio ſi Pæone ſæpe
Vtaris, ſolet eſſe: Breuis cum ſyllaba claudit
Circuitum, fracta eſt nimium, atque oratio præceps.

F I N I S.

INDEX RERVM,

ET VERBORVM.

A.

A, Atque O frequentia reddunt magnificam dictionem. pag. 331.
Acumina quæ præcipuè decent Poetam Heroicum. 67.
Acumina Virgilij præſtantiſſima. 67.
Acuminibus veluti ſale reſpergenda eſt oratio ex Ciceronis ſententia. 67.
Achilles. 166.
Actio. 305.
Actor ſuperbus. 61.
Actores quidam ſimiles imaginibus ventorum. 61.
Acumina, & ſententiæ. 68.
Acumina Lucani. 67.
Acumina Ouidij. 67.
Acumina Lucani nimia. 68.
Acumina ſtylo non debent officere. 68.
Acuminibus pluribus affluere debent breuia poemata. 68.
Acumina quæ frequentius à Statio vſurpantur. 69.
Acuminibus præferendus candor ſtyli. 69.
Acumina quæ ab heroico Poeta reſpuenda 69.
Adiumenta tria Rhetoricæ. 315.
Adæ prodigioſè reuiuiſcentis deſcriptio. 301.

Adam in Moriæ colle ſepultus, 302.
Adeodatus dici potuit Clemens X. 17.
Adiuncta. 322.
Ab Adiunctis aliquando naſcitur argumentum integræ orationis. ibid
Vt Panegyrici de capta Rupella. ibid.
Et exordia funebria. ibid.
Adiunctio. 334.
Adminiſter eximius Imperij. 41.
Adoleſcentes plaudunt Poetæ, qui ſibi ipſi plaudit. 61.
Adriæ plauſus: 290.
Aduerſa. 320.
Ægeria. 55.
Aemilij, & Clementis nomen Sanctiſſimo Põtifici conuenire, eruitur ex Cœleſti Proteo. 188.
Aemuli quid proſint. 116.
Aæneidi præferuntur Georgica Virgilij. 73.
Aæneidos ſtylum excolere magis arduum, Virgilio fuit, quam Georgicon. 73.
Aenigma. 328.
Aequanimitas in vtraque fortuna. 158.
Aeſculapius. 246.
Aætas primò infauſta, mox felix. 14.
Affectus animi ab Ouidio egregiè exprimuntur. 64.
Frequentius quàm à Virgilio, ibid.
Affectus animi vt exprimant Poetæ Ouidium imitentur. 64.
Affectus quomodo ab Oratore mouendi. 333. 345.

Agri-

Agrigentinæ Virgines. 77.
Albanus, & Nemorenſis lacus. 127.
Alexandri Magni Milites. 257.
Alexandri votum. 151.
Alexander Magnus. 166.
Alexander Taſſonus. 118.
Algidus Mons. 120.
Allegoria Homeri præſtantiſſima. 59.
Allegoria Virgilij. 59.
Allegoria morum, & doctrinarum à Poetis texenda. 59.
Allegoriæ Ducem quem ſequi debeant Poetæ. 59.
Allegoria. 329.
B. Aloyſiæ Gonzagi Soc. Ieſu Sanctitas ab eius immaturo funere eruitur. 47.
Humanæ eiuſdem dotes ibid.
Eius vita fuit perpetua fuga ex rebus humanis. 48.
Optauit immaturum interitum. ibid.
Eius ſanguinis eloquentia. ibid.
Ipſius precum omnipotentia. ibid.
Cur citò mori exoptauerit. 49.
Eius corporis afflictationes. ibid.
Calcaria lateribus admouet. ibid.
Peſtilenti aura in noſocomio afflatur. 50.
Quodam Martyrij genere ſublatus. ibid.
Negamus, breuem fuiſſe ipſius vitæ curſum. ibid.
De illo S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis teſtimonium. ibid.
Pluribus Martyribus præfertur. ibid.

Idem eſt Sanctorum Adoleſcentium Idea. 51.
Citò terris ereptus. 306.
Suum templum ſubit. ibid.
Charites illum natum excipiunt. 307.
Mortalia contemnit. ibid.
Religioſis votis ſe obſtringit. ibid.
Quinquẽnis tormẽtũ bellicum explodit 308.
In Ticino periclitatur. 309.
Prodigiosè incolumis ab igne. 310.
Voluntarijs cruciatibus ſe torquet. 311.
Extinguitur, dum ſeruit peſtilenti lue infectis. ibid.
Alteriæ Gentis Nobilitas. 11.
Summi ex ea Gente Pontifices, Cardinales, & Romani Patritij recenſentur. 11.
Suppetias perpetuò fert Reipublicæ. ibid. & 12.
Templa, & publicas aedes excitat. 12.
Viterbiũ, & Vrbem veterẽ patrocinio fouet ibid.
Cur cum Clemente X. deſiuerit virile Alteriorum genus. 32.
Præclaræ huic arbori egregium aliud germen inſeritur. 32.
Alterijs Heroibus prætergredi ſeculum conſuetum eſt. 34.
Alterij Principis Angeli laus. 157. 158. 142.
Alterij Principis Gaſparis laus. 142. 155. & 156.
Amænitas carminis in Claudiano commendatur. 73.
Amore pugnatur fœlicius, quàm armis. 10.
Amphimacus. 331.

Amplificatio ſpoetica laudum, & obiugationum à Claudiano petenda. 73.
Amplificatio præſertim naſcitur à diſtributione partium. 318.
Amplificatio fit affirmando, & negando, 318.
Anapeſtus, Dactylus, atque Spondeus rarò coniungendi ſoluta oratione. 334.
Animus in Principatu compoſitus. 157.
Annibal. 120. 304.
Annibalis campi. 121.
Annibalis milites. 257.
Anni die vltima cur lapſę ſint niues. 126. & ſeq.
Annominatio. 335.
Antecedentia. 321.
Antenor. 286.
Antiphraſis adhibita in laudatione. 133.
Antonomaſia. 328.
Anxur. 123.
Apelles. 113.
Apennini. 116.
Apicius. 98.
Apollo. 5. 245.
Apollinis ore dignus character Virgilij. 73.
Apollonius Thyanæus. 7.
Apoſiopæſis. 339.
Apoſtrophe. 338.
Appoſita, ſiuè Epitheta quænam adhibenda in laudibus, quæ in vituperatione. 330.
Appoſita, quæ nihil addant, non adhibenda in ſoluta oratione. 331.
Appoſita illuſtria non coniungenda vilibus rebus. 333.

Appoſita frequenter adhibenda, dum incenduntur animi motus, præſertim furoris. 333.
Arbiter Petronius, quid habet laude, quid vituperatione dignum. 68.
Arbitri ſtylus. 68.
Archimedes. 290.
Archimedes comparatus contemnenti Imperium. 163.
Argumentorum coniunctio inſperata. 176.
Argumentorum fontes. 316.
Arguméta eruta ex locis topicis. 316. & ſeq.
Argumentatio, ſiue vſus argumentorum. 324.
Ariſtophanes. 330.
Ariſtoteli, & Homero tantùm parcunt Critici quidam. 87.
Ars à *Poeta* occultanda. 73.
Ars quomodo occultanda. 333.
Artificem opus commendat. 109.
Aſtrologi iudiciarij. 118.
Atellanus. 97.
Atomiſtæ. 119.
Audacia Satyræ quibuſdam conciliat opinionem doctrinæ. 87.
Auditor Criticus. 56.
Augurum Imperium Principi ominantium deſcriptio. 33.
Augurum certamen. 201.
D. Auguſtini eloquentia. 106.
D. Auguſtini de Lucretia Romana Dilemma. 297.
Auguſtus. 89.

Au-

Auguſtus. 89.
Aulæ Prouidentię Diuinæ deſcriptio. 308.
Auli Perſij laus. 85.
Aurei verſus frequentiſſimi in Claudiano improbantur. 72.
Aurei ſeculi deſcriptio. 147.
Aurora dicenda eſt roſcida, non rubra. 330.
Authores omnes cur aliqui criminentur. 88.

B.

BAcchi Clypeus Phiala cur ineptè dicatur. 331.
Batauia. 164.
Belfortij Ducis ſtrenuitas. 255.
Bellatoris ad pugnam parati deſcriptio. 164.
Bellatoris pugnantis deſcriptio. 165.
Bellorum cauſas Poetæ debent afferre. 62.
Bellicum tormentum. 308.
Bombardam explodentis pueri deſcriptio. 308.
Breuitas quæ orationis quærenda ex Plinij ſententia. 106.

C.

CAeleſte præſidiũ contra hoſtes fidei. 169.
Camertium Antiſtes olim fuit Clemens Decimus. 33.
Candidus, & innocuus Princeps. 154.
Capilupi Fratres. 75.
Cardinalium Collegium. 303.
Cardinalium Collegij in conferendis muneribus ſapientia. 16.
Cardinalium Collegio gratiæ referuntur ob

electum Clementem Decimum. 44.
Cardinalis eximius. 145.148.
Cardinalis eximij Idea. 148.
Carminis ſonus aliquando aſperandus. 72.
Carminis Maieſtas amanda, vitandus tumor. 71.
Carminis ſententia aliquando cum carmine ipſo concludenda, aliquando reijcienda ad eiuſdem carminis initium, ac medium, finis ſententiæ. 72.
Carmen deſinere aliquando debet in vocem vnica ſyllaba conſtantem. 72.
Carminis amænitas in Claudiano commendatur. 73.
Carmina latina quorumdam Italicè exprimenda, vt pateat, nihil in ijs eſſe ſucci, & vitæ. 76.
Carmen Heroico Satyricum. 118.
Carolus V. 89.
Carthaginienſes Milites. 257.
Caſtor, & Pollux. 159.
Catacreſis. 328.
Catilina. 97.
Catulli parodia. 298.
Cauſæ. 323.
Cauſas bellorum Poetæ afferre debent. 62.
Cauſarum genera. 314.
Cauſarum quatuor genera. ibid.
Quomodo ex ijs eruatur argumentum. ibid.
Cento Virgilij conflandus ne ſit? 75.
Charites Virgilij quatuor. 74.
Charitum certamen de Helena Cornelia. 269.

Charitum excipientium B. Aloyſium deſcriptio. 307.
Charondas. 5.
Charus omnibus vix eſſe poteſt, qui omnes gloria anteit. 100.
Choreus. 334.
Chriſti Domini Caluariæ montem ſubeuntis deſcriptio. 299.
Chriſtianorum præliis inſeri non debent à Poeta Numina fabuloſa. 61.
Cicero. 26. 58. 105.
Ciceronis ſententia de acuminibus. 67.
Circe. 124.
Circeus Mons. 124.
Circumſcribenda quænam ſint. 332.
Circumſtantia quando dāt anſam luſibus Epigrammatum. 323.
Ciuilis, & militaris virtutis exemplar proponit Poetica allegoria. 59.
Ciſium. 127.
Claudiani ſtylus Veneri comparatus. 53.
Claudianus quid habeat laude, quid vituperatione dignum. 72. 73.
Claudiani Carmina ob numerorum ſimilitudinem ingrata. 72.
Claudiani artificium nimis prominet. 73.
Claudianus dat exemplar laudis, & obiurgationis poeticè amplificatæ. ibid.
Clementis Decimi Pont. Max. olim Æmilij Cardinalis Alterij laudes. 4 & ſeq.
Eius conſortium cum Deo. 5.
Contemptus Imperij. 6.

Famulatur generi humano. 6.
Ante diem ſurgit è ſtrato. 7.
In Rempublicam vigil incumbit. ibid.
Publicæ egeſtati mederi ambit. 8.
Temporum iniquitatem ſuperat. ibid.
Vectigal adimit. 9. 10.
Cur illi à Turcis pertimeſcendũ non ſit. ibid.
In pauperes liberaliſſimus. 10.
In ſe ipſum mirificè parcus. ibid.
Prouenit ab Auis nobiliſſimis, qui ſubſidium ſemper attulerunt Reipublicæ. 11.
Palutium Cardinalem Alterium regiminis in partem vocat. 12. 41.
Fœliciſſimus eſt in Regno. 13.
Diuinitus datus Chriſtianæ Reipublicæ. 16.
Olim à Sacro Cardinalium Collegio legatus renunciatus fuit. ibid.
Eius in Societatem Ieſu amor. 18.
De illius imperio auguria omnium. 28. 33.
Eius electioni pretium addidit mora. ibid.
Illius electio Prouidentiæ Diuinæ triumphus ibid.
Per horas plures recuſat Imperium. ibid.
Diutius pugnandum cum illo fuit, quàm laborandum, vt in illum ſuffragia conſpirarent. ibid.
Religioni ſibi vertere debet Imperij fugam. 29. & ſeq.
Plures quotidie conſecrat horas colloquijs diuinis. 30. 37.
In illo vulgaria, quæ in cœteris mortalibus prodigioſa. ibid.

Illius patriæ laus. 31.
Eiuſdem eximia nobilitas. ibid.
In illo extinguebatur virile germen ſuorum: 32.
Cur. ibid.
Palutios Alterijs inſerit. ibid.
Idem cum germano fratre ſuo digniſſimus Imperio. ibid.
Diu ſuperfuturum ſperare licet. 33.
Eius Proaui diuturnam ætatem agitare conſueuerunt. 34.
Eiuſdem egregia valetudo. ibid.
Sapientia. 36.
